262.216
Ig 4

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/breviscommentari0000pant

BREVIS COMMENTARIUS

P. ANTONIUS IGLESIAS
O. F. M.

BREVIS COMMENTARIUS
IN FACULTATES
QUAS SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE
DARE SOLET MISSIONARIIS

ALMA COLLEGE
262.216
LIBRARY
lg4
Alma, California

TAURINI - ROMAE
Ex Officina PETRI MARIETTI a. 1820 condita
MARIO E. MARIETTI
Sanctae Sedis Apostolicae et Sacrae Rituum Congregationis
necnon Archiep. Taurinensis Typographo, possessore
—
MCMXXIV

33855

Ex parte Ordinis nil obstat, quominus, servatis ceteris de iure servandis, typis mandetur.

Romae, die 17 Iulii 1923.

Fr. Bernardinus Klumper O. F. M.
Minister Generalis.

Nihil obstat.

Augustae Taurinorum, VII Idus Iulias 1923.

Sac. Aloysius Coccolo, *Rev. Deleg.*

Imprimatur.

C. FRANCISCUS DUVINA, *Provic. Gen.*

Ius proprietatis vindicabitur (30-20-viii-23-1,5M).

MISSIONARIIS

Vobis, inter quos numerari mihi haud datum fuit, qui pro ampliando Regno Dei, veluti milites in angustiore loco adlaboratis, hoc qualecumque opus a me conscriptum dicatur.

Vel a titulo operis probe intuemini, finem mihi intentum esse opem vobis ferre in usu Facultatum a Sacro Consilio pro Fide Propaganda larga copia concessarum, quibus mediante Ordinario loci augemini.

In iis facultatibus adornandis, prae oculis habui potissimum **Formulam Tertiam,** *siquidem commentata formula tertia, quae amplissima est, eo ipso illustratae evadunt ceterae formulae, nam hae ad invicem differunt potius numero quam specie facultatum. Si quid est discriminis inter eas, singulis in facultatibus opportune adnotatur. Ceterum haec agendi ratio superstruitur fine mihi proposito, praebendi*

nempe aliquale adiutorium praesertim missionariis illis, quibus dari solet formula tertia.

Praeterea, inter illustrandas facultates, congessi plurima, quae, in subiecta materia, utilia vobis fore censui; atque ideo v. c. ut plurimum praeposui singulis facultatibus illa quae sunt **ex iure** *ea mente, ut quae sunt* **ex facultate** *magis elucescerent; et insuper ea etiam ratione ut, si forte facultates desint, in promptu sint quae illa in materia iure communi statuta sunt.*

Ad praxim quod refert, plerumque amplexus sum benigniora, cui agendi rationi movet nedum sanus probabilismus verum etiam effatum Iuris: Favores sunt ampliandi.

In commentario efformando, adhibui doctrinam et auctoritatem imprimis ipsius Ecclesiae; deinde theologorum; atque non parum emolumenti expertus sum ex labore quondam « In Facultates Apostolicas » peracto a PP. Konings-Putzer, et hodiedum in novissimas Formulas S. C. de Propaganda Fide magistra manu acto a PP. Blat et Vermeersch (1).

Faxit Deus ut opella mea aliquid utilitatis vobis conferat.

---

(1) *Commentarium Textus Codicis Iuris Can.*, de Rebus, p. I; *De Formulis Facultatum S. C. de Propaganda Fide.*

Ceterum, collatis viribus, adlaboremus Deum exorantes: « Adveniat regnum tuum », grates Ei referentes pro ineffabili beneficio, vobis prae aliis in manibus, quod non in tenebris infidelitatis nati sumus, sed vocavit nos in admirabile lumen suum, in Ecclesiam inquam, Matrem piissimam, in qua vivere, cum qua sentire nostrum est, pro qua mori, lucrum.

Romae, festo S. Antonii Patavini, 1923.

INDEX ANALYTICUS

PAG.

NUNCUPATIO-PRAEFATIO 5

CAPUT I. — FACULTATES IN GENERE

ART. I. — DE CONCESSIONE NOVARUM FORMULARUM 15
I. Ratio novarum Facultatum . . . 15
II. Numerus 15
III. Ad invicem relatio 16
IV. Regiones pro quibus dantur . . . 16
V. Subiectum cui dantur 17

ART. II. — FACULTATUM INTERPRETATIO . . 18
I. Criteria generalia interpretationis . . 18
II. Criteria specialia interpretationis . . 21
III. De tempore a quo et ad quod . . . 23

CAPUT II. — FACULTATES IN SPECIE

FACULTATES FORMULAE TERTIAE.

Formulae Tertiae ratio 27
Formulae divisio 28

A) CIRCA SACRAMENTA ET RITUS SACROS

1. Benedicendi aquam baptismalem formula breviore 28
2. Conficiendi olea sacra minore numero ministrorum et etiam extra diem Coenae Domini 30

PAG.

3. Concedendi facultatem administrandi sacramentum Confirmationis 31
4. Permittendi Missam etiam in mari, in altari fracto, praesentibus etiam excommunicatis, etc. 35
5. Permittendi celebrationem Missae cum uno luminari vel etiam absque luminaribus . 38
6. Permittendi utramque purificationem calicis aqua tantum 39
7. Permittendi thurificationem in Missis cantatis a solo celebrante absque ministris sacris 40
8. Permittendi in ecclesiis sui territorii tres Missas in nocte Nativitatis Domini . . 41
9. Permittendi functiones Maioris Hebdomadae rituali Benedicti XIII, vel una Missa lecta in feria V in Coena Domini et Sabbato Sancto 43
10. Permittendi ter in hebdomada Missam privatam de Requie 45
11. Permittendi Missam votivam de Deipara . 46
12. Permittendi ut SS. Sacramentum exponi possit cum duobus luminaribus tantum . 47
13. Permittendi asservationem SS. Sacramenti sine lumine (ob defectum olei, etc.) . . 48
14. Permittendi asservationem SS. Sacramenti sine lumine (ob instans periculum) . . . 52
*15. Permittendi religiosis Sororibus lotionem corporalium, etc., et contrectationem vasorum sacrorum 54
16. Permittendi (ob periculum irreverentiae, etc.) administrationem SS. Eucharistiae absque lumine et vestibus sacris 55
*17. Concedendi infirmis SS. Communionem non servato ieiunio 58
18. Conferendi Ordines minores omnes simul etiam cum prima tonsura 62

PAG.

19. Conferendi omnes sacros Ordines diebus ferialibus etsi continuis 63
20. Dispensandi cum diaconis (in ordine ad presbyteratum) super defectu aetatis 18 mensium 65
*21. Dispensandi super impedimentis matrimonialibus iuris ecclesiastici, tribus exceptis 66
*22. Sanandi in radice matrimonia invalida ob aliquod impedimentum iuris ecclesiastici (tribus exceptis) 74
*23. Sanandi in radice matrimonia mixta attentata coram magistratu civili vel ministro achatolico 76
*24. Dispensandi cum gentilibus conversis, ut quam maluerint ex pluribus uxoribus retinere valeant 78
*25. Dispensandi super interpellatione in casibus ordinariis 83
*26. Dispensandi super interpellatione in casibus extraordinariis 85
*27. Permittendi interpellationem ante baptismum partis conversae, vel etiam ab eadem dispensandi 87

B) Circa Absolutiones, Benedictiones, Indulgentias etc.

*28. Absolvendi a censuris simpliciter et speciali modo Romano Pontifici reservatis . . 89
*29. Dispensandi et commutandi vota privata Sedi Apostolicae reservata 91
*30. Benedicendi cruces, coronas, etc. (cum Indulgentiis Apostolicis) 93
31. Conferendi facultatem consecrandi calices, patenas, altarium lapides 97

PAG.

31bis Erigendi stationes Viae Crucis et benedicendi crucifixos aut cruces in ordine ad exercitium Viae Crucis 99
32. Impertiendi ter in anno Benedictionem Papalem 104
33. Concedendi Indulgentiam Plenariam in prima Communione et in administratione S. Confirmationis 109
*34. Concedendi Indulgentiam Plenariam primo conversis ab haeresi 111
35. Impertiendi Indulgentiam Plenariam iis e Clero qui interfuerint Ss. Exercitiis . . 111
*36. Concedendi Benedictionem Papalem cum Indulgentia Plenaria fidelibus, qui sacris Missionibus vel Exercitiis interfuerint . 112
*37. Concedendi Indulgentiam Plenariam in actu Visitationis 114
*38. Concedendi ut indulgentiae lucrari valeant confessione menstrua 115
*39. Concedendi ut indulgentiae praedictae applicari possint Defunctis 117
*40. Benedicendi Crucifixos cum indulgentia plenaria toties quoties nuncupata . . . 117
41. Concedendi ut recitatio matutini cum laudibus diei sequentis incipi valeat statim post meridiem diei currentis 121
42. Concedendi ut loco divini Officii rosarium vel aliae preces recitentur 123
43. Permittendi missionariis vestes laicales . 125
44. Permittendi missionariis exercitium medicinae et chirurgiae 126
45. Assignandi pensiones quasi-parochis au missionariis 128
*46. Dispensandi ab interdicto laborum servilium in diebus Dominicis 129

PAG.

C) Pro ipso Ordinario

47. Asservandi SS. Eucharistiam in sacello domus stabilis ipsius Ordinarii 131
47bis Fruendi indulto personali altaris privilegiati quotidiani 132
48. Lucrandi sibi indulgentias quas aliis concedere valet 134
49. Utendi ipse etiam in sui favorem hisce facultatibus 134
50. Utendi throno cum baldachino et cappa magna in Pontificalibus 134
Animadversiones 135

Addenda: FACULTATES SUPPLETORIAE

1. Erigendi Confraternitates; ascribendi Confraternitatibus; benedicendi coronas, scapularia Confraternitatum 136
2. Subdelegandi facultatem ascribendi Confraternitatibus; et benedicendi coronas, scapularia Confraternitatum 138
3. Subdelegandi suis missionariis facultatem:
a) benedicendi et imponendi omnia scapularia (a Sede Apostolica probata) absque onere inscriptionis 138
b) erigendi stationes Viae Crucis et applicandi eiusdem indulgentias crucibus et crucifixis 139
3bis Benedicendi et imponendi omnia (cetera) scapularia (a Sede Apostolica probata) absque onere inscriptionis 140

CAPUT I.

FACULTATES IN GENERE

Art. I. — De concessione novarum Formularum.

I. *Ratio novarum Facultatum.* — Perfecto 1.
opere codificationis Iuris Canonici, S. C. de Propaganda Fide formulas facultatum concedendarum, iampridem in usu, Codici aptavit. Ex formulis enim hucusque dari solitis, indulta aliqua supervacanea evadere videbantur, cum omnes loci Ordinarii facultatibus quampluribus ipso *iure* instruantur, quas antea nonnisi apostolico *indulto* assequebantur. Insuper, ex facultatibus apostolicis quae remanent, nonnullae minus cohaerent ratione tenoris quo enuntiantur cum praescriptis Codicis (1).

II. *Numerus.* — Hodiedum tres usurpari 2.
solent formulae, sub nomine Prima, Secunda, Tertia; haec vero et altera contradistinguitur

(1) *A. A. S.*, 1918, pag. 190.

in *maiorem* et *minorem;* quae formulae a die 1 ianuarii 1920 solae vigent, aliis sublatis. Intra limites harum formularum, facultates inibi expressas concedit S. C. de Propaganda Fide auctoritate apostolica sibi demandata.

3. III. *Ad invicem relatio.* — *a*) Natura facultatum, intra ambitum concessionis seu in singulis formulis, est eadem, eademque criteria interpretationis, scil.: Sunt *privilegia praeter ius*, quae ideo subsunt latae interpretationi.

b) Formula prima, et secunda tertiaque maiores dantur Superioribus regionum auctis charactere episcopali; minores vero dantur regionum Superioribus charactere episcopali minime auctis. Idcirco discrimen inter ipsas ut plurimum respicit vel sacramentum Ordinis vel indulta aliqua quibus augentur Superiores non episcopi, utpote quae a iure ipsis non dantur.

c) Eo *ampliores potestate* sunt formulae, quo adiuncta regionum magis recedunt ab ordinaria condicione hierarchica; eo autem *minores potestate*, quo magis regiones eis donandae attingunt ordinariam hierarchiam. Hinc non promiscue, sed isto ordine solent elargiri:

4. IV. *Regiones pro quibus dantur.* — Sequenti ordine recensentur a P. Vermeersch (1):

a) Formulam primam (seu minus amplam)

---

(1) *De Formulis Facultatum*, n. 31.

obtinent: Suecia - Norvegia - Dania - Smyrna - Constantinopolis - Hierusalem - Aleppo - Ispahan - Babilonia (*Bagdad*) - Vicariatus Apost. Arabiae - Aegyptus - Lybia (*Tripoli*) - Marroquium.

b) Formulam alteram (seu minus amplam) consequuntur: Tasmania - Welingtonium (*N. Zelanda*) - Dioeceses coloniarum Galliae in Africa - Dioeceses Americae centralis - Martinica (*Roseau*) - Coloniae anglicae Africae.

c) Formulam tertiam (seu amplissimam) impetrant: Sinae - Indosinae - Iaponia - Insulae Oceaniae - Sandwich - Carolinae - Mariannae Carolinae - Guam - Tahiti - Africa, (excepta Lybia, Aegypto et dioecesibus gallicis) - Indiae - Malaca - Americae Vicariatus et Praefecturae.

V. *Subiectum cui dantur.* — In praefatis regionibus, pro quibus dari solent hae facultates, non *singulis* missionariis, sed *Superioribus* dantur a S. Congregatione, quibus (Superioribus) mediantibus ad missionarios singulos per *subdelegationem* (si natura rei vel exceptio fortasse apposita hoc non impediat) protenduntur. **5.**

Porro Superiores harum regionum veniunt in iure nomine *Ordinarii loci*, qualis est nedum Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, verum

etiam Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, atque ii omnes qui, praedictis deficientibus, succedunt (1). Tales sunt v. c. Vicarius Capitularis, Pro-vicarius aut Pro-praefectus Apostolicus, vel Senior ex missionariis in Vicariatu vel Praefectura, etc. (2). Ideo Formulae inscribuntur *Domino Ordinario* (absque ulteriore designatione personae).

Qua in re animadvertendum est, Ordinariis loci accenseri, ad instar Vicarii Generalis (c. 366) *Vicarium Delegatum*, qui, apostolica concessione, institui potest ab omnibus Superioribus Missionum, etiam illarum, quae nondum in Praefecturam Apostolicam erectae sunt (3).

Art. II. — Facultatum interpretatio.

Harum formularum vel facultatum ratio nabilis interpretatio, tum ex generalibus criteriis iuris, tum ex specialibus clausulis ipsi facultatibus appositis facienda est.

I. — *Criteria generalia interpretationis.*

6. Desumuntur praesertim ex diversis canonibus Codicis (I. C.). Criteria potiora his facultatibus interpretandis sunt:

---

(1) c. 198.
(2) c. 309, 311.
(3) *A. A. S.*, 1920, pag. 120.

1º Facultates habent naturam seu rationem *privilegii praeter ius;* ideoque potius sunt ampliandae quam restringendae, tam in *materia* quam in *subiecto* in cuius favorem adhibentur. — Quare:

a) *per se* nedum in subditos, sed etiam in peregrinos exerceri possunt; in propriam personam (saltem probabiliter) - (1); extra territorium in proprios subditos, saltem ubi agitur de iurisdictione *voluntaria* (2).

b) in dubio de exsistentia vel de sufficientia causae ad usum facultatum, valide et licite adhibentur (3).

c) cumulari possunt, nisi expresse interdicatur.

Ad assertam hanc naturam et sequelas, nihil refert, num in perpetuum, an ad tempus, an ad casus facultates datae fuerint.

2º Facultates *comprehendunt utrumque forum*, nempe internum et externum (4). Quod si aliqua ex his facultatibus respiciat tantum forum internum, tunc non potest adhiberi in foro externo, sed utique in foro interno extra-sacramentali (5).

---

(1) Immo certe ex facult. 48-49.
(2) c. 201, § 3.
(3) c. 84, § 2.
(4) c. 202, § 3.
(5) c. 202, § 2.

3º Facultates *secumferunt omnem potestatem ad exercitium necessariam.* Merito hoc affirmatur de his facultatibus, quod afferant quoque omnem aliam potestatem ad usum seu exercitium earum. Quare in facultate v. g. dispensandi, continetur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis *ad effectum*, uti dicitur dispensationis vel gratiae consequendae (1).

4º Sunt *facultates delegatae a S. Sede* et quidem habitualiter, quod iuridice sibi vult

a) Nisi aliud expresse caveatur:

I. *Competunt* nedum ipsi, qui in praefato loco primaria quadam ratione est Ordinarius, v. c. Vicarius Apostolicus, verum etiam illi qui ibidem Ordinario accensetur, v. g. Delegatus Generalis (n. **5**).

II. *Transeunt* ad Ordinarios, qui ipsi in regimine succedunt (2), v. g. ad Pro-vicarium seniorem missionarium, etc.

b) *Subdelegari* possunt, sive ad *actum* sive etiam *habitualiter*, nisi subdelegatio sit prohibita (3) vel intuitu personae facultas elargita (4).

Huiusmodi subdelegatio, ut patet, fieri potest nedum ab Episcopo, Vicario vel Praefecto Apostolico, sed etiam a Vicario General

---

(1) c. 66, § 3.
(2) c. 66, § 2.
(3) c. 199, § 2.
(4) Cuius una alterave habetur, v. c. n. 47, 50.

vel Vicario Delegato, etc., nisi ipse cuius vices gerunt contradicat (1).

II. — *Criteria specialia interpretationis.*

Desumuntur ex specialibus clausulis, quae apponuntur Formulis facultatum veluti totidem criteria seu normae pro recto usu earumdem. — En clausulae:

1ª *Facultates asterisco notatae sunt subdelegabiles.* 7.

Haec clausula restrictionem ponit, ratione cuius nequeunt indiscriminatim subdelegari omnes facultates, quod, secus, liceret ex can. 199, § 2. — Consequenter, facultates asterisco non notatae, *vi harum Facultatum* subdelegari nequeunt, sed exercendae sunt per ipsum Ordinarium, scil. Episcopum eiusque Vicarium Generalem, Vicarium aut Praefectum Apostolicum horumque Delegatos Generales, etc. (2).

2ª Facultates *valent intra fines iurisdictionis.*

Ordinarius itaque omnibus facultatibus (sive per se sive per alios) - (3), uti valet tantum intra fines *suae iurisdictionis.*

Haec clausula meretur singularem attentionem, ex eo quod non restringit usum facul-

---

(1) c. 368, § 1.

(2) Nisi agatur de facultate quae ex fine vel natura rei sit omnino personalis.

(3) Nisi obstet non subdelegabilitas facultatis.

tatum praecise ad *territorium* Ordinarii, sed potius intra limites suae iurisdictionis. Porro cum iurisdictio Ordinarii quaedam territorio circumscribatur, quaedam vero hos limites transcendat, dicendum est pro *naura* uniuscuiusque facultatis limites illius esse designandos nunc *territorii*, nunc *personae*, nunc *materiae*. Itaque Ordinario praefato *per se* vel *per alium* (si est subdelegabilis), competit plenus usus atque exercitium suarum facultatum *intra territorium suae* iurisdictionis; *extra territorium* vero competit quoque usus et exercitium praefatarum facultatum quoties haec versantur circa iurisdictionem *voluntariam* seu gratiosam. Ast, huiusmodi restrictio (extra territorium) ad materiam, aliam secumfert restrictionem, nempe *personalem* seu quod in solos subditos exerceri queat.

Verum dantur et facultates, quae etiamsi ferant gratiosam iurisdictionem, *terminus* tamen facultatis est necessario intra territorium, puta facultas erigendi stationes Viae Crucis; e contra facultas benedicendi cruces aut crucifixos pro exercitio Viae Crucis etiam extra territorium in subditos exerceri potest.

3ª *Gratis et sine ulla mercede exercendae* sunt facultates (sive ab Ordinario sive a subdelegatis).

Haec condicio formulis apposita, valde com-

mendat ministerium apostolicum, ansamque omnem praepedit obloquendi.

Nihilominus per huiusmodi clausulam non adigit Sedes Apostolica ad expensas omnes cancellariae et « *postales* » subeundas etiam pro illis qui ceteroquin pares forent expensis hisce ferendis. Nec, demum, hic interdicitur acceptatio eleemosynae *omnino sponte* oblatae.

4ª *Facta mentione apostolicae delegationis.*

Hanc clausulam potius respicere censeo ipsum Ordinarium facultates exercentem vel subdelegantem quam subdelegatos subdelegatione utentes. Ceterum, mentio facienda praescribitur *delegationis*, non vero *subdelegationis*. Modus tamen quo mentio apostolicae delegationis facienda sit, non edicitur; quoquo modo fit, satis est.

Notandum. Prima et secunda ex clausulis recensitis *per se* spectant validitatem, cum extra illos limites facultatibus destitutus censeatur Ordinarius et consequenter etiam subdelegatus. Ceterae vero clausulae validitatem exercitii non attingunt, cum in ipsis quaestio non sit de *exsistentia* facultatis sed de *modo*.

III. — *De tempore a quo et ad quod.*

8. Interest praesertim Ordinarii prae mente habere rationem *initii*, *termini*, vel etiam *protractionis* et *renovationis* facultatum:

1º Si nihil expresse cavetur quoad tempus *a quo* initium sumunt facultates Ordinario adscriptae, teneri debet norma iam alias data a S. C. de Prop. Fide respectu facultatum a se concessarum, scil.: tempus facultatum « esse computandum a die receptionis (earum) et non a die datae » (1). Si igitur facultates, subscriptae seu datae fuere a S. Congregatione die 13 iunii, nonnisi die 14 iulii perveniunt Ordinario, incipiunt currere atque tempus in ipsis praefinitum est computandum a die 14 iulii.

2º Tempus *ad quod* facultates protrahuntur, ita est definitum a S. Congregatione de P. F.:

a) « *Datis* ab Ordinario *precibus pro renovatione* seu prorogatione earumdem facultatum, ipsae in suo robore *perseverare* censeantur, usque dum responsum S. C. ad eumdem Ordinarium pervenerit ».

Clausula hac cavetur ne Missio aliqua detrimentum patiatur si, ob adversa temporum adiuncta vel ob coacervata negotia apud S. Congregationem, responsum renovationis tempestive ad Ordinarium haud pervenerit; supponit tamen ipsum Ordinarium tempore congruo preces porrigere ita ut, in ordinariis adiunctis, renovationis litterae opportune ad ipsum perveniant. Si tamen (bona vel mala fide) hoc

---

(1) Die 22 ian. 1759 (C. G.). — *Collect. de P. F.* n. 412; 2 april. a. 1640 (C. G.). — *Ib.* n. 100.

non fecit, idem est effectus a momento quo preces renovationis dedit.

b) « Quod si forte *ex oblivione vel inadvertentia* ultra tempus supra praefinitum..... hisce *facultatibus* Ordinarium *uti* contingat, absolutiones, dispensationes, concessiones omnes exinde impertitae uti ratae atque validae habeantur ».

Hac clausula fertur providentia pro *casu oblivionis* aut *inadvertentiae*, sive respiciat casum singularem, sive totum negotium perdurationis facultatum (1). Atque ideo non supponitur casus *malae fidei*, nec huic providetur.

Huiusmodi providentia non est restringenda ad solum Ordinarium per se ipsum facultates exercentem, sed comprehendit quoque totum ambitum, quo illas exercere valet subdelegando, ita ut omnes missionarii subdelegati *valide* facultates exerceant, atque etiam *licite* si et ipsi in bona fide versantur. Putarem tamen, malam fidem *subdelegati* nec Ordinario nec ipsi, ad facultates quod refert, obesse, quoniam in fonte ipso a S. Congreg. supplentur.

Praeterea nulla ex facultatibus excipitur a *supplemento;* quinimo ipsa specificatio (absolutiones, dispensationes, concessiones omnes) a S. C. facta, ostendit nullam esse exceptionem apponendam. Quod valet quoque de faculta-

---

(1) Blat, *Commentarium...*, de Rebus, p. I. Appendix, pag. 781.

tibus sive numero casuum non definitis, sive ad certum numerum restrictis: praetergresso illo numero casuum bona fide, supplet Sancta Sedes (1).

NB. — Effectus exercitii facultatum, cum sint gratiae factae, non cessant exspirante ipsa facultate. Sic potestas celebrandi in mari, indefinite facta, non cessat cessante facultate in concedente. Attamen, expirante facultate in Ordinario, cessat quoque in *subdelegato*, cum haec sit veluti extensio facultatis Ordinarii, quae in casu nulla est. Ceterum, absonum utique foret constituere Ordinarium peioris condicionis quam eius delegatum.

---

(1) Praefata clausula non favet missionario, cui ab Ordinario limites appositi fuere ad certos casus; excedente enim, bona ve mala fide numero casuum, deest supplementum ex parte Ecclesiae, quae solum supplet pro casu *bonae fidei Ordinarii*. Attamen, aliquid supplementi haberetur in casu ex can. 207, § 2 ubi dicitur « Sed potestate pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est ».

CAPUT II.

FACULTATES IN SPECIE

Facultates Formulae Tertiae.

Ratio Formulae Tertiae: 9.

1° *Est amplissima* (haec formula tertia) *numero* et *specie* facultatum; praesefert nempe illud maximum quod concedere solet *habituali* et *universali* quadam ratione S. C. de Propag. Fide. — Datur istius formulae duplex species: maior et minor.

2° *Relatio inter maiorem et minorem.* — Formula tertia maior et minor paucis admodum differunt. Ratio discriminis inde potissimum accidit quod maior, cum detur episcopis, eis non tribuit quod per Codicem I. C. iam est concessum, v. g. facultatem erigendi stationes Viae Crucis; e contra, in minore hae facultates fiunt Ordinario, quia cum non sit episcopus, eas ex iure non habet. Utraque autem formula augeri solet facultatibus suppletoriis.

3º *Dari solet* pro toto Extremo Oriente magnaque parte Indiarum Occidentalium, etc.; inscribitur *Domino Ordinario*, absque ulteriore designatione personae, ex quo etiam patet dari *intuitu officii*.

10. *Formulae divisio.* — Dividitur in quatuor titulos:

A) Circa Sacramenta et Ritus Sacros;

B) Circa Absolutiones, Benedictiones, Indulgentias etc. etc.;

C) Pro ipso Ordinario;

Animadversiones.

Adiungi solet, folio separato, quoddam *supplementum* facultatum. Iam de singulis facultatibus.

A) Circa Sacramenta et Ritus Sacros.

11. **1. Concedendi suis missionariis facultatem BENEDICENDI AQUAM BAPTISMALEM ea breviori formula, qua Missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit.**

Haec facultas est communis omnibus formulis; deest in *prima*, et est indelegabilis.

Ex iure: *a*) In adiunctis ordinariis, baptisma est sollemniter conferendum (can. 755); in quo adhibenda est aqua ad hoc specialiter

benedicta (can. 757), et quidem benedicta eo anno in Sabbato Sancto aut in vigilia Pentecostes (1).

b) deficiente vero aqua baptismatis, adhibenda est aqua benedicta illa Benedictione Fontis, (nisi proprii ritus adsint), quae habetur in Rituali Romano, tit. III, c. VII.

Ex facultate. Fit potestas praetermittendi formam longiorem pro benedictione Fontis extra Sabbatum Sanctum et vigiliam Pentecostes, et adhibendi illius loco formam *brevissimam*, quae invenitur in Appendice eiusdem Ritualis, pag. 1ª asterisco contradistincta.

Subiectum cui huiusmodi potestas fieri potest, sunt omnes missionarii vel sacerdotes, qui qualibet ratione sunt in territorio Ordinarii, etsi non proprie et habitualiter subditi; nam peregrino sacerdoti sicuti et alia ministeria (puta collationem baptismi) committi possunt, ita et benedictio aquae.

Tempus ad quod. Deputari possunt per se indefinito modo; idcirco nihil obstat quominus deputentur habitualiter.

---

(1) Haec aqua specialiter (sive ex iure sive ex facultate) benedicta, si commode fieri potest, a missionario est secum afferenda, saltem quando agitur de baptismo sollemni, nam in baptismo *privato* de obligatione adhibendi aquam specialiter benedictam non videtur constare. Génicot-Salsmans, II, n. 134.

12. **2. Conficiendi OLEA SACRA** (1) **cum sacerdotibus, quos potuerit habere; et, si necessitas urgeat, etiam extra diem Coenae Domini.**

Deest in formulis minoribus et prima; est indelegabilis.

Ex iure. Sacra olea quae quibusdam Sacramentis administrandis inserviunt, debent esse ab Episcopo benedicta feria V *in Coena Domini* proxime superiore; neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat (can. 734, § 1).

Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia (§ 2).

Ex facultate. Dispensatur a duplici lege, (quae secus esset servanda), in oleis sacris faciendis, scil.: de *numero* ministrorum adhibendorum, et de *tempore* (in Coena Domini), quarum utraque lex per se obligat sub gravi.

Conditiones servandae:

a) *Cum sacerdotibus, quos potuerit habere.*

Modo ipso, quo facultas fit, satis perspicitur S. Congregationi persuasum esse vix posse (illis in regionibus adauctis *formula*

---

(1) Sacra olea tria sunt: catechumenorum, infirmorum et sacrum chrisma (ex oleo et balsamo confectum). Oleum infirmorum adhibetur in extrema unctione, catechumenorum in ordinatione presbyterali et baptismo sollemni; chrisma autem in baptismo sollemni et consecratione episcopali. Demum et sacris oleis calices etc., sacrantur.

tertia) olea consecrari adhibito magno numero ministrorum sacrorum; idcirco, remittens de lege, concedit ut illis saltem adhibitis (1), qui sine magno incommodo adhiberi possunt, olea nihilominus consecrari valeant nedum extra tempus, sed etiam in feria V in *Coena Domini.*

b) *Et, si necessitas urgeat, etiam extra diem Coenae Domini.*

Minus hic remittitur de lege quam in praecedente conditione, siquidem requiritur *necessitas urgens*, qualis iam haberetur ipso defectu olei benedicti pro quocumque Sacramento vel rebus sacrandis. Sic v. g. satis, dicerem, urget necessitas quae adest consecrandi calices et similia; nec existimarem procrastinandam esse vel ipsam Confirmationem ad tempus quo olea, ex more, consecrari solent et debent. Igitur, in praxi vix non semper urgebit necessitas, quoties olea ante tempus Coenae Domini vel physice vel moraliter deficiant.

3. Concedendi facultatem ADMINISTRANDI CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM uni vel alteri ex suis sacerdotibus, in quacumque regione a sua residentia longe dissita, absente tamen quocumque Episcopo, servato Decreto 13.

(1) Saltem duobus. — Blat, *Comm.* L. III, p. 18.

Sacrae huius Congreg. diei 4 maii anni 1774, atque Instructione " De Sacramento Confirmationis „ in appendice Ritualis Romani inserta.

Deest in formula prima; est communis ceteris formulis, verum indelegabilis.

Ex ipso ordine episcopali, quilibet Episcopus (consecratus) est minister ordinarius *validus* Confirmationis.

Ex iure. Facultate administrandi Sacramentum Confirmationis gaudent Vicarius Apostolicus (ergo etsi episcopali charactere non auctus) et Praefectus Apostolicus, qui tamen ea valide (quatenus sit ex *solo* iure) uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum (can. 782, § 3). Ut patet, hos limites validitatis non habet potestas ministri ordinarii, quae ideo valide semper exercetur. Quibus positis,

Ex facultate Superioribus fit potestas instituendi ministros extraordinarios S. Confirmationis seu dandi *delegationem apostolicam* sacerdoti eum in finem ut administrare queat Sacramentum Confirmationis, qua in re servandae sunt sequentes conditiones:

1ª *Numerus instituendorum. Non omnes* missionarii, *nec plures* in eadem regione, sed *unus* vel *alter* tantum institui potest in ministrum extraordinarium.

Attamen verba «uni vel alteri» non consistunt in definito ita ut duo tantum possint illa facultate donari; sed sensus obvius est: pauci omnino sint illi, quibus haec potestas fiat. Porro, quot sint *pauci*, dependet a numero incolarum loci (subiectum Sacramenti) et a numero missionariorum (ministri instituendi). — Quod in parva regione esset nimium, in praegrandi regione, fortasse, erit insufficiens.

Praeterea *pauci instituendi*, non sunt accipiendi respectu totius territorii Ordinarii, sed respectu regionis (seu partis territorii) pro qua instituuntur, ita ut plures esse queant in toto territorio, qui tamen sint pauci ratione habita regionis pro qua instituuntur.

2ª *In quacumque regione a sua residentia longe dissita.*

Quaenam aestimanda sit regio longe dissita a residentia Ordinarii, nedum ex ipsa *distantia*, sed etiam ex *difficultate* accessus, habita insuper ratione *multiplicitatis* itineris quod ad diversas regiones cogeretur Ordinarius instituere; necnon *valetudinis* Ordinarii aliarumque rerum sexcentarum, quae difficilem redderent pro ipso Ordinario administrationem Confirmationis.

In his omnibus moraliter aestimandis, prae oculis habendum est, Ecclesiam noluisse constituere fideles harum regionum in deteriore, sed potius in meliore conditione quam

apud alias regiones versantes in adiunctis ordinariis. Unde, in dubio inclinandum est sive in dandam sive in exercendam facultatem habitam.

3ª *Absente tamen quocumque Episcopo...*

Scilicet, in regione illa nullus sit Episcopus, qui *possit* et *velit* Confirmationem *copia*, qua opus esset, administrare. Quod si Episcopus adest quidem, sed non potest, v. g. prae multitudine confirmandorum, vel non vult ea frequentia qua par esset, sed interdum tantum Sacramentum hoc administrare, ratio esset supplendi per ministros extraordinarios. Ceterum, haec conditio et praecedentes non videntur spectare validitatem collationis Sacramenti (1).

4ª *Servato Decreto... et Instructione Rit. Romani.*

Decreti et Instructionis haec est summa:

a) Chrisma sit ab Episcopo confectum, recens et solum in casu necessitatis adhiberi potest chrisma praecedentis anni;

b) Licet omni tempore administrari queat Confirmatio, congruit ut in hebdomada Pentecostes fiat. Attamen servanda sunt requisita de aetate, statu gratiae, rudimentis Fidei, etc.

c) Administratio fieri debet absque roc-

(1) Vermeersch, *De Form. Facult.*, n. 85, d).

chetto et baculo si ministro non competit usus Pontificalium.

NB. — Haec facultas, ut patet, transit ad eum qui legitime succedit in munere Ordinarii, sit Pro-praefectus aut senior missionarius: etenim quod aliis committere, et ipse facere potest.

4. Permittendi suis missionariis ut MISSAM celebrare possint, in casu necessitatis, etiam SINE MINISTRO, SUB DIO et SUB TERRA, atque etiam IN MARI, dummodo mare sit tranquillum, in loco tamen decenti; etiam si altare sit fractum vel sine Reliquiis Sanctorum; et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit; atque ut Missa celebrari queat UNA HORA POST MEDIAM NOCTEM. 14.

Est communis omnibus formulis; attamen in secunda et prima limitata ratione conceditur, nempe: pro sola celebratione in mari et ut Missa una hora post mediam noctem incipi queat. In omnibus formulis est indelegabilis.

Materia facultatis. Est non una lex liturgica, secus observanda in celebratione Sacrificii Eucharistici; deinde aliqualis tolerantia quoad adstantes.

Subiectum cui seu activum. Est Ordinarius, qui hac facultate uti potest pro se et suis. Pro

licito usu vel exercitio facultatis requiritur necessitas. Porro necessitas in casu illa sufficere videtur qua, secus, aliquis cogeretur abstinere a litando Sacro. Hinc, sensus istius conditionis (seu necessitatis) esset: Non licet uti facultate si veluti in promptu sint omnia ad celebrationem more solito faciendam. Severior interpretatio, in aliquibus saltem, potius restringeret quam ampliaret iura (1).

In specie. Hic conceditur facultas celebrandi:

a) Etiam sine ministro;

b) Sub dio vel sub terra (v. g. in fodinis, vel causa persecutionis) modo locus sit decens (2);

c) In mari, sed servatis conditionibus, nempe: mare sit tranquillum adeo, ut, habita ratione consistentiae navis, non sit periculum effusionis sacrae Speciei calicis; locus sit decens, qualis non erunt plerumque cellae privatae navis actu inservientes; secus, si locus est decens et decentior haberi nequit, vel incommoda sequuntur, cellae huiusmodi navis, si decorae sunt non videntur excludendae;

d) In altari fracto vel sine Reliquiis Sanctorum. Altare exsecratur per fractionem enormem, vel si amoveantur Reliquiae aut fran-

---

(1) Cfr. quod ex iure hic conceditur can. 822, § 4.

(2) Talis non est locus interdictus, pollutus, templa paganorum, haereticorum.

gatur vel amoveatur sepulcri operculum. (Cfr. can. 1200);

e) Etiam praesentibus haereticis, schismaticis etc.

Praesentia horum in Sacrificio eucharistico conficiendo, si excipitur vitandus, potius ex lege naturae (periculo irrisionis, indifferentismi, etc.) quam ex lege ecclesiastica videtur interdicta. Si vero haec incommoda removentur celebratio (vi istius facultatis) evadit licita, etiam ad legem Ecclesiae quod attinet, si aliter celebrari non posset.

Facultas haec continet insuper dispensationem aliquam can. 2259, § 2, quatenus, *vitandus* si expelli nequit, a Missa nec cessandum nec abstinendum est;

f) Missa celebrari queat una hora post mediam noctem.

Concedit anticipationem horae celebrationis, quae ex iure incipit una hora ante auroram (can. 821). Vi igitur facultatis Missae celebratio incipi potest iam statim elapsa una hora post mediam noctem, computatione facta ad libitum iuxta normam can. 33. Necessitas, quae ad hoc sufficeret, adesse censetur in quolibet motivo rationabili ut est v. g. iter instituendum (1).

---

(1) Nihil obstat quominus Ordinarius vel missionarii possint uti, qua Regulares, privilegiis ipsis faventibus hac in re. Cfr. Gasparri, *De SS. Eucharistia*, vol. I, 615.

15. **5. Permittendi ut MISSA CELEBRARI possit CUM UNO LUMINARI, adhibendo in casu quodcumque lumen, dummodo cera ex apum industria confecta deficiat; nec non permittendi ut Missa ABSQUE LUMINARIBUS celebrari possit, in locis ubi non inveniuntur olivae et nulla alia substantia ad lampades nutriendas inveniri potest: in casu tamen verae necessitatis, et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii.**

Recurrit in tertia minore (N. 4); deest in aliis formulis, et est indelegabilis.

Obiectum facultatis sunt luminaria, quae ex rubricis sunt adhibenda in celebratione Missae. Quae lex, quatenus cum unico saltem luminari Missa est celebranda, sub gravi obligat (1). Iamvero per hanc facultatem Ecclesia dispensat a duplici lege liturgica: de numero, et de materia luminarium. Animadvertas tamen aegre ab istis Ecclesiam dispensare; idcirco, paulatim procedit et per partes ita ut, si saltem unum luminare haberi queat, etiam ex materia non liturgica, hoc sit adhibendum, onerata conscientia ipsius Ordinarii.

Necessitas requisita. Huiusmodi necessitas utique habetur:

1° Si agitur de Viatico administrando, de

---

(1) Noldin, *De Sacramentis*, n. 211.

SS. Eucharistia renovanda, de praecepto audiendi Sacrum implendo.

2° Si vero non agitur de circumstantia mere transeunte, sed de ordinaria aut saltem quae iamdiu protrahitur conditione alicuius regionis aut loci, rigor videtur temperandus, immo, modeste et salvo meliori iudicio, existimarem: conscientiam Ordinarii potius onerandam de *carentia* luminarium vel de *substantia* luminaria nutriente quam de ipsa *necessitate* Missae; secus missionarius constitueretur in habituali privatione tanti Sacrificii (1). Fatendum tamen S. Officium ab auctoribus afferri tamquam severius hoc in casu respondens (2). Verumtamen dubitarem utrum responsum S. Officii respiciat quoque hypothesim propositam.

6. Permittendi ut in utraque PURIFICATIONE CALICIS AQUA TANTUM adhiberi possit, dummodo tamen extrema adsit vini deficientia. 16.

Recurrit in tertia minore (n. 5), verum indelegabilis; deest in aliis formulis.

Ex iure. Ablutio seu purificatio calicis post

(1) A fortiori haec valent si agitur vel de sola materia luminarium vel de omissione unius luminaris, nam ex S. Alf. (VI, n. 394) omissio unius luminaris nec leve est peccatum exstante causa rationabili, immo si solius devotionis ergo, secluso tamen scandalo, celebretur.

(2) Vermeersch, *De Formulis F.*, n. 108.

sumptionem sacratissimae Speciei vino, deinde vino et aqua est facienda (1); obligatio tamen hac lege inducta, non est tanta ut, facta etiam utraque purificatione in sola aqua, sit grave peccatum imputandum: theologi, duce S. Alfonso (VI, 408), hoc leve habent.

Ex facultate. Auferri potest illa obligatio, quaecumque sit, purificandi calicem prout de iure esset faciendum. Attamen, tunc tantum auferri potest, cum extrema sit vini deficientia; ex quo missionarii hoc saltem emolumentum habere possunt quod tranquilliores evadant in his adiunctis.

Necessitas. Ad usum licitum istius facultatis, una sufficit extrema indigentia vini, quin insuper requiratur necessitas celebrationis, sed sufficit celebratio etiam devotionis causa.

17. **7. Permittendi THURIFICATIONEM in Missis cantatis a solo celebrante absque ministris, dummodo duo saltem clerici superpelliceo induti Missae inserviant.**

Est communis omnibus facultatibus, ast nequit subdelegari.

Materia facultatis continet dispensationem legum liturgicarum, et consistit in eo quod *cantu* Sacrum peragens, etsi absque ministris,

---

(1) *Ordo et Ritus servandus in celebratione Missae*, X, 5.

possit tamen de more thus adhibere perinde ac si cum ministris sacris ageret.

Conditiones. Bina conditio apponitur:

a) duo saltem clerici, scil. inservientes (etsi nullo ordine aucti) adhibeantur; *b*) quique inservientes, non vestibus saecularibus appareant, sed superpelliceo induti sint; superpelliceum autem supponit vestem talarem.

Non fit sermo de necessitate ad usum facultatis; ast praetereundum non est cultum quo splendidiorem, eo congruentiorem menti Ecclesiae et aedificationi hominum.

Limites. Haec facultas suapte natura est restricta territorio; ibique non habet limites quoad Missae qualitatem.

8. Permittendi ut in Ecclesiis sui territorii TRES Missae statim post mediam noctem NATIVITATIS DOMINI celebrari possint, cum potestate administrandi fidelibus S. Communionem, cauto tamen ut omnia cum debita reverentia fiant. 18.

Est communis ceteris formulis, et nequit subdelegari.

Ex iure. In nocte Nativitatis Domini inchoari media nocte potest sola Missa conventualis vel paroecialis, non autem alia sine apostolico indulto (c. 821, § 2) - (1).

(1) Non est explorati iuris utrum in hac Missa distribui queat S. Communio. Affirmant qui principii instar tenent: Ubi et quando licita Missa, ibi et tunc licita Communionis distributio.

In omnibus tamen religiosis seu piis domibu oratorium habentibus cum facultate sancti simam Eucharistiam habitualiter asservand nocte Nativitatis Domini, unus sacerdos tre rituales Missas vel, servatis servandis, unar tantum quae adstantibus omnibus ad prae cepti quoque satisfactionem valeat, celebrar potest et sanctam communionem petentibu ministrare (c. 821, § 3).

Ex facultate. Fit potestas Ordinario perm tendi tres Missas in nocte Nativitatis Domi et ut in ipsis administretur sanctissima Co munio; qua facultate ditari possunt *omn ecclesiae* (consequenter et oratoria publica) s territorii. Unde in ecclesiis in quibus nul titulo potest Sacrum fieri nocte illa sacrat sima, largiente Ordinario valent tres Miss rituales celebrari et fideles S. Communio refici. Privilegio aucti possunt illo uti vel p *prima* Missa tantum vel pro prima et *secun* vel pro tribus.

Dubitari potest utrum ecclesiae, quae *i habent* unius Missae (conventualis vel paro cialis) in nocte Nativitatis Domini, muni valeant facultate seu privilegio isto. Et v detur affirmandum, quia sunt revera ecclesia territorii, et non excipiuntur. Unde existima rem (saltem premendo verba facultatis) h ecclesiis dari posse idem indultum ac aliis e

clesiis, etiam independenter ab illis quae ipsis competunt ex iure, ita, ut una Missa dicatur ex iure, et tres (praeter illam) dicantur ex indulto. Cum hic sermo sit de ecclesiis, tali privilegio nequirent donari oratoria non publica, bene vero oratoria publica, cum haec in iure aequiparentur ecclesiis (c. 1191).

Conditiones, quae sunt servandae pro licito usu istius facultatis, profluunt ex ipsa natura rei et huc redeunt: Omnia qua par est reverentia fiant. Hic Ecclesia prae oculis habet praesertim fideles, ne forte obex sit quominus pie intersint Sacrificio aut de illo participent.

9. Permittendi ut in Ecclesiis sui territorii FUNCTIONES MAIORIS HEBDOMADAE celebrari valeant iuxta peculiarem ritum a S. M. Benedicto PP. XIII propositum pro Ecclesiis minoribus paroecialibus, in quibus ministrorum numerus vel copia cantorum ad praedictas sacras functiones solemniter peragendas haberi nequeat: dummodo tamen constet ibidem satis esse consultum reverentiae sacris mysteriis debitae, et quod nulla exinde abusui pateat occasio; et quatenus neque praedictus ritus servari possit, permittendi ut in iisdem Ecclesiis unica Missa lecta, loco sollemnis, celebrari possit feria V in Coena Domini et Sabbato Sancto. 19.

Est communis ceteris formulis et indelegabilis.

Ex iure. Functiones sacri tridui Ma
Hebdomadae fieri debent sollemniter in eccl
cathedralibus, collegiatis, conventualibus,
vato Missali Romano; si vero non nisi tres
quatuor tantum clericos habeant, servato
moriali Rituum Benedicti XIII (1).

Ecclesiis quasi-paroecialibus, quales sunt
rumque apud loca Missionum, idem ius
peragendi praefatas functiones servato p
Rituali Benedicti XIII, cum praesertim i
vorabilibus veniunt nomine paroeciae. Quat
vero opus sit, per facultatem istam ab
providetur.

Ex facultate, augetur potestas Ordinar
duplici capite:

1° Permittere potest ut habeantur
ctiones Hebdomadae Maioris in *omnibus*
clesiis sui territorii vel solo servato M
riali Rituum Benedicti XIII.

2° Si vero functiones eaedem nec p
convenienter valeant praefato ritu, pe
tere potest in iisdem ecclesiis *unicam* Mi
lectam loco sollemnis tum in feria V in C
Domini, tum in Sabbato Sancto.

Conditiones. Duo requiruntur ut licite a

---

(1) Auctores passim affirmant, tam in paroecialibus
in regularium ecclesiis, Missam privatam (ante sollemnem
brari posse feria V in Coena Domini, praesertim in comm
infirmorum. Vermeersch, *Epitome I. C.*, II, 95; Seba
Theol. Moral. (edit. VI, min.), n. 451.

i queat parvum rituale Benedicti XIII: desit copia ministrorum et cantorum ad ctiones, de more seu iuxta Missale per- ndas; *b*) consulatur reverentiae sacris mys- is debitae et nulli inde abusui pateat oc- io.

uvat notare: Concessa celebratione Missae ae in feria V in Coena Domini et in Sab- o Sancto, concessa quoque dicenda est ntia distribuendi S. Communionem intra sam, sed in Sabbato Sancto etiam conti- ac statim post eam expletam, prout in . 867, § 3: haec enim Missa locum tenet emnis.

.0. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii ter hebdomada, extra Quadragesimam, MISSA IVATA DE REQUIE celebrari possit, etiam bus ritus duplicis maioris et minoris, ex- tis Dominicis, nec non feriis, vigiliis atque avis privilegiatis, diebus tamen, quibus eadem sa a Rubricis permittitur, computatis. 20.

st communis aliis formulis, sed indelegabilis.

Materia facultatis, est potestas permittendi in qualibet hebdomada (supputanda, ut etur, a die Dominica) Missam *privatam* Requie.

Exceptiones. Excipiuntur 1° tempus Quadra- imae; 2° omnes Dominicae; 3° *privilegiatae*

a) *feriae:* IV Cinerum, II, III et IV Maior Hebdomadae; b) *vigiliae:* Nativitatis Domi Epiphaniae, Pentecostes; c) *octavae*, quae sun primi ordinis: Paschatis, Pentecostes; secun ordinis: Epiphaniae, Corporis Christi; ter ordinis: Nativitatis et Ascensionis Domini.

Praeterea, tres dies in hebdomada eru computandi (non cumulandi) cum illis in qu bus ex liturgicis legibus celebrari queat Mis de Requie, ita ut non plus quam ter in hebd mada in unaquaque ecclesia (vel oratorio p blico) haberi possit. Aliud est si lex liturg fert maiorem numerum.

Bene notandum est, facultatem respic Missas *privatas* de Requie. Igitur Missae r privatae ordinantur quoad dies, etc., iux proprias leges liturgicas, sicque componi p sunt ter Missa privata in hebdomada et Mi de die *obitus* quotidie celebranda.

21. **11. Permittendi etiam omnibus diebus fes et dominicis MISSAM VOTIVAM DE B. M. iis qui, ob defectum oculorum aliamve in mitatem, legere nequeant Missas singulis dieb occurrentes iuxta Missalis Romani rubricas.**

Habetur in aliis formulis excepta prima; est in legabilis.

Notanda: — *a*) Sacerdoti, sic indulto auc fas est, si potest, sese accommodare calenda

ecclesiae vel oratorii, v. g. quia satis callet Missam de SS. Sacramento vel aliam, quae ibi dici potest: indulta non tollunt, sed augent iura.

b) In hac Missa *Gloria* et *Credo* dici debent quando ex rubricis dicenda sunt, nec non et tres Orationes in pari casu.

c) In die Nativitatis Domini ter eadem Missa votiva dici potest, et in Commemoratione Omnium Fidel. Defunct. ter eadem Missa *quotidiana.*

NB. — Huius indulti integra legislatio reperitur in *A. Apostol. Sedis*, 1921, pag. 154.

12. Permittendi ut, iusta de causa, SSMUM SACRAMENTUM CUM DUOBUS LUMINARIBUS ex quacumque substantia confectis EXPONI possit. 22.

Est communis omnibus formulis praeter primam; tamen nequit subdelegari.

Materia facultatis. Remittitur hic de legibus liturgicis quatenus in expositione (publica vel privata: in ostensorio vel in sola pyxide cooperta de more) SS. Sacramenti lucere debent saltem sex luminaria de cera apum et viginti ad minus (iuxta Instructionem Clementinam) in expositione tempore XL Horarum.

Conceditur ut expositio (privata vel publica) SS. Sacramenti fieri queat: *a*) cum duobus

luminaribus tantum; *b*) confectis (vel nutritis) ex quacumque substantia. Quod haec substantia esse queat etiam *electricitas*, non videtur improbabile, potissimum si prae oculis habetur hac super re aliquid concessum fuisse Ordinariis locorum tempore praegrandis belli circa ipsam lampadem, quae diu noctuque continenter lucere debet coram SS. Sacramento.

Conditiones. Requiritur *causa iusta* (sive pro reducendo numero sive pro substituenda materia lampadum), sed non necessario causa debet esse gravis. Sufficiens causa videtur si expositio SS. Sacramenti vix commode fieri posset servatis adamussim legibus expositionis, v. g. si ingens esset pretium cerae apum aut difficulter haberi posset.

NB. — Haec facultas: *a*) respicit solam *expositionem* SS. Sacramenti, non vero *celebrationem* Missae (1) nec *asservationem* SS. Eucharistiae, de qua in can. 1271 et in sequente facultate; *b*) non videtur extendenda ad expositionem perpetuam vel XL Horarum, quoniam haec moderantur peculiaribus decretis (2).

23. **13. Permittendi ut, in locis ubi olivae non inveniuntur, et nulla alia substantia ad lampades nutriendas haberi potest, SANCTISSI-**

(1) De qua in facultate 5ª, n. 15.
(2) Blat, *Commentarium*, l. III, pars I, pag. 767.

MUM SACRAMENTUM etiam SINE LUMINE ASSERVARI possit, in casu tamen verae necessitatis et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii.

Recurrit in tertia minore (n. 12), et est indelegabilis. Deest in aliis formulis.

Ex iure. Praeter alia, asservatio licita SS. Eucharistiae requirit ut: « Coram tabernaculo in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, una saltem lampas diu noctuque continenter luceat, nutrienda oleo olivarum vel cera apum; ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetabilibus ». Can. 1271.

Hac sub lege tantum ius asservàtionis SS. Eucharistiae, quatenus ab Ordinario loci dependet, dari potest. Quae lex semper intellecta fuit de gravi obligatione in eo quod respicit lampadem coram SS. diu noctuque collucentem; ast non ita constat de gravitate quoad substantiam, qua lampas est nutrienda.

Ex facultate. Dispensatur in iure, et, inter non asservationem vel asservationem minus aptatam legibus liturgiae sacrae, optio fit pro asservatione, quum tandem sint Sacramenta propter homines.

Per partes tamen procedit dispensatio: 1° requiritur ut nulla alia substantia nutriri queat

lampas; 2º sub illa hypothesi concedi potest asservatio absque ullo lumine.

Verba illa *nulla alia substantia* puto esse intelligenda lato sensu, scil.: nedum de substantia suppletoria (oleo vegetabili de quo in can. 1271), sed etiam de *qualibet* alia substantia, quae *decenter* adhiberi queat in defectu suppletoriae, ita ut substantia illa, tametsi non sit talis quae ad apicem can. 1271 adhiberi posset, tamen valeat et debeat adhiberi vi facultatis antequam liceat devenire ad SS. Eucharistiae asservationem permittendam absque ullo lumine: idcirco non posset asservari sine lumine ub saltem lux electricitate nutrita adhiberi valeret.

Necessitas asservationis. Veluti conditio sine qua licita non evadit asservatio SS. Eucharistiae absque ullo lumine, ponitur vera necessitas, graviter onerata conscientia Ordinarii. Porro est vera necessitas asservandi SS. Eucharistiam:

a) In ecclesiis *curam animarum* habentibus, quales sunt etiam quasi-paroeciae (can. 1265, § 1, 1º). In istis est obligatio asservandi SS. Eucharistiam tanta ut putarem, etiam citra hanc facultatem asservari debere sine lampade, si aliter fieri nequit, siquidem inter legem divinam de Viatico (ut communiter tenent theologi) et legem liturgicam, praevalet utique lex divina.

b) Pari ratione ac sub *a*) idem dicerem de ecclesiis religiosorum *exemptorum*, in quibus SS. Eucharistia asservatur et asservari debet (c. 1265, § 1, 1°): habent revera curam animarum.

Quid dicendum de locis in quibus, *non debet*, sed, permittente Ordinario loci, potest asservari SS. Eucharistia?

Huiusmodi loca sunt: Ecclesia collegiata, oratorium principale sive publicum sive semipublicum tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur (c. 1265, § 1, 2°).

Asservatio in his locis non videtur licita in talibus adiunctis nisi adsit *vera necessitas*. Porro veram necessitatem, adhibendo interpretationem latam, dicerem esse pro communitate pia aut religiosa, cui indulta est asservatio Eucharistica, si, secus, privaretur magno beneficio SS. Eucharistiae intra domum cum facilitate frequentis adorationis, et cogeretur ad exitus extra domum multiplicandos, etc. Idem dicerem, si in pago praegrandi accessus ad ecclesiam asservantem SS. Eucharistiam non esset commodus, unde difficilis redderetur visitatio SS. Sacramenti cum aliquali praeiudicio *frequentis* communionis.

Has similesque dicerem causas verae necessitatis; immo minorem necessitatem sufficientem haberem si, lampade semper collucente, ageretur de sola materia lampadis nutriendae.

24. **14. Permittendi, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii, ut SSMUM SACRAMENTUM pro infirmis SINE LUMINE in loco tamen decenti RETINERI possit.**

Habetur in tertia minore (n. 13) et est indelegabilis; deest in ceteris formulis.

Ex iure. Sanctissima Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito (can. 1269, § 1).

Gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum sanctissimam Eucharistiam nocturno tempore extra altare, super corporali tamen, in loco tutiore et decenti, asservari, servato praescripto can. 1271 (de lampade semper coram lucente). Can. 1269, § 3.

Ex facultate. Fit potestas dispensandi in duplici lege asservationis: *a*) de loco (scil. ecclesia, altari, etc.); *b*) de lampade, quae secus coram SS. Sacramento semper collucere debet. Locus tamen dispensatione permittendus, decens sit oportet.

Differt haec facultas a praecedente in motivo dispensationis: Ibi movet defectus materiae, hic periculum irreverentiae vel profanationis; quod removetur per asservationem eucharisticam dissimulatam, scilicet: loco insolito, nec more solito.

Quod in facultate periculum venire dicatur ab haereticis vel infidelibus, designat illud quod

plerumque contingit. Si tamen idem periculum timetur v. g. a pravis christianis, eadem facultas (ni officium) esto: nam tota ratio facultatis est in periculo sacrilegii, nec refert a quo tandem periculum proveniat.

Quinam sit locus decens, pietati ipsius missionarii plerumque erit relinquendum pro diversis adiunctis: tale esse potest cubiculum actu liberum in domo missionarii.

Facultas haec, ut patet, tamdiu perdurat quamdiu perseverat et causa; hinc si nocte periculum disparet, in Ecclesia et lumine collucente esset reponenda SS. Eucharistia; si vero satis removeretur periculum reponendo SS. Eucharistiam in loco decenti, non est ratio praetermittendi lampadem. Natura legis, quam attingit facultas, non fert benigniorem interpretationem, cum Ecclesia aegre dispenset in iis quae respiciunt cultum SS. Eucharistiae. Verum in dubio semper est inclinandum in usum vel exercitium facultatis.

Comprehensio facultatis. Asservatio, qualis ex facultate permitti potest, ad eam solam restringitur, quae sit *necessaria pro infirmis.* Strictior haec interpretatio requiri videtur a sensu obvio verborum et ab adiunctis. Unde, facultas est intelligenda pro asservatione necessaria non vero pro asservatione *facultativa;* idcirco adhiberi potest in favorem ecclesiarum

curam animarum habentium, (quales sunt etiam quasi-paroeciae), et ad summum, pro ecclesiis vel oratoriis religiosorum exemptorum. In aliis autem locis asservationis non habentibus ius et officium Viatici, non videtur affirmanda haec facultas, eo vel magis quod ipsa ratio facultatis suadet asservationis loca esse reducenda, ut periculum magis caveatur. Prudentiae tamen Ordinarii vel etiam ipsius missionarii erit, adversis adiunctis perseverantibus, asservationem SS. Eucharistiae ita *disponere*, ut simul irreverentiae periculum removeatur et (saltem infirmis) copia SS. Communionis non deficiat.

25. ***15. Permittendi RELIGIOSIS SORORIBUS sacrarii servitio addictis ut sacra vasa sacrasque supellectiles tangere, nec non pallas, CORPORALIA ET PURIFICATORIA ABLUERE valeant.**

Est communis ceteris formulis et subdelegabilis.

Ex iure. Curandum ne calix cum patena et ante lotionem purificatoria, pallae et corporalia, quae adhibita fuere in sacrificio Missae, tangantur, nisi a clericis vel ab iis qui eorum custodiam habent (can. 1306, § 1).

Purificatoria, pallae et corporalia, in Missae sacrificio adhibita, ne tradantur lavanda laicis etiam religiosis, nisi prius abluta fuerint a

clerico in maioribus ordinibus constituto; aqua autem primae lotionis mittatur in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem (ib., § 2).

Ex facultate. Potestas subdelegabilis, quae hic datur, maxime utilis esse potest in locis missionum, ubi plerumque non est copia eorum quibus talia obire ex iure vel officio competit.

Non omnibus sororibus talia faciendi licentia dari potest, sed iis dumtaxat sacrario addictis seu servitio sacristiae; nec refert, si transeunter vel ad actum; sufficit quod designentur; immo existimarem nec necessarium fore quod designentur veluti immediate pro servitio sacrarii, sed sufficere si sacrario addictae sunt ut tale munus lavandi corporalia obeant.

Patet sorores abluentes corporalia, etc., teneri sicut et alios lege de prima aqua in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem mittenda.

16. Permittendi suis missionariis ut ADMINISTRARE valeant christianis graviter aegrotantibus SSMAM EUCHARISTIAM SINE LUMINE et sine superpelliceo et stola, dummodo constet de periculo cui exponerentur si induerent superpelliceum et stolam, lumenve accenderetur. 26.

Recurrit in tertia minore (n. 15) et est indelegabilis.

Ex iure. Principii instar in re liturgica est: «Delatio et administratio SS. Eucharistiae

publice et sollemniter facienda est ». Ad infirmos (autem) publice sacra communio deferatur, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat (can. 847).

Iusta et rationabili de causa, delatio privata fieri potest etiam ad sacram communionem devotionis ergo infirmis administrandam. Normae tamen pro delatione privata hae sunt: « Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur » (1). Haec pro delatione, sed administratio facienda est ceteris de more servatis quoad preces, corporalia, etc.

Ex facultate:

a) Hic non est sermo de delatione, sed de administratione. Attamen et ipsa delatio comprehenditur quatenus opus sit, si secus, ipsa administratio locum habere non posset. Pericula enim quae timentur maiora essent in delatione vel saltem non minora.

b) Praeterea facultas *sic* administrandi SS. Eucharistiam restricta est ad solos infirmos graviter aegrotantes, scil. nedum pro casu Viatici aut ad instar Viatici (Viatico non prae-

(1) S. C. de disciplina Sacramentorum, 23 dec. 1912. Cfr. *A. A. S.* ann. 1912, pag. 725.

ceptivo sed facultativo), sed etiam pro SS. Communione administranda illis infirmis graviter quidem sed non ad mortem decumbentibus. Ceteris infirmis non favet facultas; unde, si delatione privata de qua in iure, non potest his consuli, a communione devotionis causa pro modulo facultatis, videtur abstinendum (1).

Materia facultatis. Directe comprehendit solam dispensationem a quibusdam circumstantiis administrationis, et expresse fit mentio de lumine, superpelliceo et stola; idem tamen valet pro usu corporalium, precibus et caeremoniis.

Conditiones:

a) *Graviter aegrotantibus...* Proculdubio in ista facultate comprehenditur administratio Viatici. Sed, cum pro Viatico administrando, quod secus nequiret sine periculo administrari, iam de se videatur lex liturgica cessare; hic sermo quoque est de administratione *devotionis* causa, sive fiat per modum viatici (non servato ieiunio eucharistico), sive per modum communionis (ieiunio eucharistico servato) iuxta legem pro infirmis non periculose decumbentibus (can. 858, § 2).

Verumtamen, quoniam facultas est in favorem graviter decumbentium, scil. eorum qui laborant morbo notabili, qui facile transire

(1) Aliud esset si circumstantiae illae evaderent velut quid ordinarium; tunc enim nec a communione paschali nec simpliciter a communione essent excludendi.

potest in mortalem, non est extendenda ad alios infirmos non ita graviter decumbentes, quamvis delatio occulta ad eos quoque fieri possit si iusta et rationabilis causa hoc suadeat (can. 847).

b) *Si periculo exponerentur.* Altera conditio dispensationis est, quod revera constet de periculo cui exponerentur (sive minister sive subiectum Eucharistiae) illis observatis

27. ***17. Concedendi INFIRMIS DECUMBENTIBUS, de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, etiam ante finem mensis, a quo decumbunt, ut S. COMMUNIONEM sumere possint bis vel ter in hebdomada; et si agatur de sacerdotibus vel religiosis, etiam quotidie, NON SERVATO IEIUNIO: hoc est etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint.**

Est communis ceteris formulis et in omnibus subdelegabilis.

Ex iure. Qui a media nocte ieiunium naturale non servaverit, nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti, nisi mortis urgeat periculum, aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum (can. 858, § 1).

Infirmi tamen qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in heb-

domada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint (Ib., § 2).

Ex facultate ampliantur concessa per canonem modo allatum. Facultatis autem en benigna interpretatio:

a) *infirmis*... non necessario gravi infirmitate;

b) *decumbentibus*... tametsi per horas surgant, immo decumbere ob ipsam infirmitatem nullatenus queant;

c) *de quibus certa spes non adsit*... etsi spes probabilis quidem adsit;

d) *ut cito convalescant*... scil. infra tres quatuorve dies;

e) *etiam ante finem mensis*... Haec clausula fundamentum praebet asserendi satis esse cum istis infirmis si infirmitate iam ab aliquibus diebus laborant de qua exulat spes certa proximae convalescentiae, scil. infra paucos dies;

f) *ut S. Communionem sumere possint* (non vero Missam celebrare) *bis vel ter in hebdomada; et si agatur de sacerdotibus vel religiosis, etiam quotidie* (1);

---

(1) Stricte loquendo « religiosi » illi dicuntur, qui vota nuncuparunt in aliqua religione (can. 488). Attamen non videntur verba facultatis adeo esse premenda quod excludantur novitii, cum isti in privilegiis aequiparentur religiosis (c. 567). Immo in hac facultate comprehendi existimarem eos quoque religiosos non proprie tales, qui vivendi rationem religiosorum imitantur, in communi degentes sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones (c. 673 ss.). Utrum facultate comprehendi

g) *non servato ieiunio*, hoc est: etsi *aliquam medicinam* (solidam vel liquidam) *vel aliqui per modum potus antea sumpserint.*

Quid sibi velit hoc « per modum potus declaravit S. Offic. 7 sept. 1897: « Mens est ut liceat sumere iusculum, caffeum, lac, au alium cibum liquidum, etsi ei sit permixt substantia aliqua, ex. gr., leves pastilli farina (*semolino*), panis radula tritus (*pangrattato* ovum dilutum etc.; dummodo mixtio no amittat naturam cibi liquidi ».

Notandum: *a*) In facultate, contra ac contin git in can. 858, § 2, non praescribitur agendu « de consilio confessarii ». Revera ibi agitu de iure omnibus concesso lege communi, ver ficatis adiunctis; hic autem vel Ordinariu vel subdelegatus, cognita causa, facultatem es concessurus vel negaturus: unde prudentia in agendo iam est satis consultum.

b) Tametsi in facultate non fiat menti de necessitate, quae instat, sumendi vel medi cinam vel aliquid per modum potus, unde ieiunium eucharisticum servari nequiret ad ho ram SS. Communionis; nihilominus non vi detur aliter concedi posse nisi necessitat aliqua exsistente. Ex alio autem capite scrupul

---

valeant etiam perpetuo commensales diu noctuque sub obedienti Superiorum in conventu degentes, premendo verba facultati est prorsus negandum. Si vero mens legislatoris est augere favo ribus illos apud quos magis in tuto posita est reverentia in SS. Eu char., in hoc esset inclinandum.

non sunt ingerendi nec frequenti communioni praeiudicium inferendum.

NB. — Ad Missae celebrantem quod refert, S. C. S. Officii « decrevit in certis casibus et sub determinatis conditionibus eamdem ieiunii legem per opportunas dispensationes aliqua ex parte mitigare.

« Quoties igitur sacerdotes, iuxta can. 806, § 2, Missam eodem die iterare aut etiam tardiore hora ad Sacrum Altare accedere necesse habeant; siquidem sine gravi damno ieiunii eucharistici legem, vel infirmae valetudinis causa, vel propter nimium sacri ministerii laborem, aliasve rationabiles causas, ad rigorem servare nequeant; Supremae huic Congregationi locorum Ordinarii, omnibus rerum adiunctis diligenter expositis, recurrere poterunt. Quae pro diversitate casuum (sive cum singulis ipsamet dispensando, sive, quando vera ac probata necessitas id omnino suadeat, habituales quoque facultates ipsis Ordinariis tribuendo) opportune providebit. Quae quidem facultates pro casibus urgentioribus, in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, iam ex nunc Amplitudini Tuae conceduntur, per Te ipsum, graviter onerata conscientia, exercendas: hisce tamen sub conditionibus, ut nonnisi aliquid per modum potus, exclusis inebriantibus, sumere permittatur; efficaciter scandalum removeatur; ac quamprimum S. Sedes de concessa dispensatione certior fiat.

« Gravissimae demum huius legis relaxationem solum concedendam esse scias, quum spirituale fidelium bonum id exigat, non vero ob privatam ipsius sacerdotis devotionem aut utilitatem.

« Haec ad pastorale Tibi ministerium facilius utiliusque reddendum, probante Ss.mo... » (1).

---

(1) S. Off., 22 martii 1923 (*A. A. S.*, 1923, pag. 151).

28. **18. Conferendi, rationabili de causa, Ordines minores omnes simul, etiam cum prima tonsura.**

Est communis ceteris formulis; deest in prima est indelegabilis.

Ex iure: *a*) Vicarius ac Praefectus Apostolicus... si charactere episcopali polleant, Episcopo dioecesano aequiparantur quod pertine ad ordinationem (can. 957, § 1).

b) Si episcopali charactere careant, possun nihilominus in proprio territorio et durant tantum munere, conferre primam tonsura et ordines minores tum propriis subditis sae cularibus ad normam can. 956, tum aliis qu litteras dimissorias iure requisitas exhibeant ordinatio extra hos fines ab eisdem peract irrita est (Ib., § 2).

Ex facultate. Nihil desuper conceditur a potestatem ordinis quod refert, nisi ponamu hanc formulam vel facultatem dari Superior Missionis, qui nec Praefecti Apostolici titul condecoratus sit; quo in casu potestatem ha facultate obtineret conferendi primam ton suram et ordines minores ad instar Praefect Apostolici.

Materia facultatis. In eo est quod concedi facultatem dispensandi in can. 978, § 3 inter dicente ne prima tonsura conferatur cum aliquo ex ordinibus minoribus, vel ordine

minores una simul. — Consequenter, vi facultatis, poterunt omnia simul coniungi.

Conditio. Ad usum facultatis requiritur causa rationabilis, nempe: excluditur arbitrarietas in agendo, sed causa, modo rationabilis sit, non refert utrum gravis an levis. Rationabilem putarem causam cavendi interruptionem in studiis, vel itinera sive in ordinandis sive in ordinante.

19. Conferendi iusta de causa, omnes SACROS ORDINES, etiam presbyteratum, diebus ferialibus etsi continuis. 29.

Recurrit in tertia minore (n. 18) mutato verbo *conferendi* in *permittendi,* cum Ordinarius non est Episcopus. — Ut patet, est indelegabilis.

Ex iure: *a*) Ordinationes in sacris celebrentur intra Missarum sollemnia sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante dominicam Passionis, et Sabbato Sancto. Gravi tamen causa interveniente, Episcopus potest eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto (can. 1006, § 2 et 3).

b) Acolythus ad subdiaconatum, subdiaconus ad diaconatum, diaconus ad presbyteratum ne antea promoveantur, quam acolythus unum saltem annum, subdiaconus et diaconus tres saltem menses in suo quisque ordine fuerint versati, nisi necessitas aut utilitas Ec-

clesiae, iudicio Episcopi, aliud exposcat (c. 978, § 2). Sed tunc ordines sacri non nisi diebus sub *a*) sunt conferendi.

Ex facultate. Magna tribuitur potestas quoad circumstantias aliquas sacrae ordinationis, scil.:

a) dispensandi in lege de *tempore* ordinationis sacrae ita, ut fieri queat etiam diebus ferialibus;

b) pariter dispensandi in lege de *interstitiis* ita, ut sacri ordines conferri valeant diebus continuis etsi ferialibus, v. g. in feria II subdiaconatus, in III diaconatus et in IV presbyteratus.

Conditio quae apponitur pro licito usu potestatis, est valde benigna, et sufficit causa quaelibet iusta, quin praecise sit requirenda *necessitas aut utilitas Ecclesiae*, quae sunt causae canonicae pro solis interstitiis. Igitur causae minores quam canonicae iam sufficerent, uti v. g. difficultas itineris pro Episcopo; occasio forte defectura; interruptio notabilis studiorum et similia.

NB. — Quod hic conceditur Vicario Apostolico, conceditur quoque Praefecto Apostolico, hoc tamen interiecto discrimine, quod Vicarius Apostolicus, utpote Episcopus, ordines sacros conferre potest ipse per se; Praefecto autem Apostolico, utpote charactere episcopali destituto, fit potestas *permittendi* ut

suis subditis sacri ordines, prout supra, conferantur.

20. Dispensandi, gravi tamen de causa, cum utriusque cleri DIACONIS super DEFECTU AETATIS decem et octo mensium, ut, eo non obstante, ad S. Presbyteratus ordinem promoveri possint, dummodo idonei sint, et dimidiam partem quarti anni cursus theologici rite, secundum Codicis praescriptiones can. 976, absolverint. 30.

Recurrit in minore (n. 19). In formula autem secunda (maiore et minore) ipsa eadem facultas fit dispensandi, sed super defectu aetatis *unius anni* tantum. Deest omnino in formula prima, et est indelegabilis.

Ex iure. Subdiaconatus ne conferatur ante annum vicesimum primum completum; diaconatus ante vicesimum secundum completum; presbyteratus ante vicesimum quartum completum (c. 975).

Ex facultate: *a*) Diacono, legitimo tempore ordinato, presbyteratus dari potest cum iam attigit aetatis annum vicesimum secundum cum dimidio completum, seu deficientibus 18 mensibus pro aetate canonica. Nulla fit potestas dispensandi in aetate requisita ad subdiaconatum vel diaconatum.

b) Nihil remittendum permittitur nedum de *idoneitate* sed neque de *studiis* rite peractis; immo hac in re quaelibet remissio explicite

excluditur, dum conditiones facultate utenti apponuntur idoneitas diaconi et absolutio saltem dimidiae partis quarti anni studii theologici rite peracti secundum can. 976, qui supponit etiam servatum fuisse can. 1365.

Subiectum facultatis. Activum est ipse Ordinarius, cum facultas haud subdelegari queat. Passivum autem est clerus saecularis et religiosus etsi exemptus; verum requiritur ut ordinandi sint de territorio vel intuitu territorii ordinentur.

Causa dispensandi, utique est necessaria, nec sufficit quaelibet, sed debet esse gravis, qualis foret v. g. si deest copia cleri in illa regione.

31. ***21. Dispensandi, canonicis exsistentibus causis, super IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS sive minoris sive maioris gradus (c. 1042), tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus iuris tamen ecclesiastici: exceptis impedimentis provenientibus ex sacro Presbyteratus ordine, ex defectu praescriptae aetatis et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio.**

« *Concedendo tamen has dispensationes, Ordi-*
« *narius prae oculis habeat regulas statutas in*
« *Codice, a can.* 1035 *ad can.* 1080, *circa impedi-*
« *menta in genere et in specie et, in impedimentis*
« *mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis*

« *conditionibus ab Ecclesia praescriptis: videlicet*
« *de amovendo a catholico coniuge perversionis*
« *periculo, ac de universa prole utriusque sexus*
« *in catholicae religionis sanctitate baptizanda et*
« *educanda; monita parte catholica de obligatione,*
« *qua tenetur, conversionem coniugis acatholici*
« *prudenter curandi; eaque lege ut, neque antea*
« *neque post matrimonium coram Ecclesia initum,*
« *partes adeant ministrum falsi cultus ad matri-*
« *monialem consensum praestandum vel reno-*
« *vandum. Si agatur vero de matrimoniis cum he-*
« *braeis vel mahumetanis, peculiari ratione oportet*
« *ut constet de status libertate partis infidelis, ad*
« *removendum periculum polygamiae; absit pe-*
« *riculum circumcisionis prolis; et si civilis actus*
« *sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nul-*
« *laque Mahumetis invocatio aut aliud superstì-*
« *tionis genus interveniat* ».

Est communis omnibus formulis, et subdelegabilis. Verum in formula prima facultas dispensandi coarctatur ad sola impedimenta minoris gradus (can. 1042), tam publica quam occulta etiam multiplicia.

Ex iure. Magni momenti est potestas, quae canon. 1043-1047 fit Ordinario loci, parocho (vel quasi-parocho), sacerdoti matrimonio assistenti (c. 1098) et confessario pro casibus urgentis periculi mortis, vel quando omnia sunt parata et nequit differri matrimonium sine periculo probabili gravis mali; vel etiam cum urget convalidatio matrimonii.

Ex facultate tolli possunt dispensatione omnia impedimenta iuris ecclesiastici, tribus exceptis; nec refert si impedimenta sunt gradus minoris aut maioris (1), publica vel occulta (2). Porro impedimenta designantur in Codice a can. 1053 ad can. 1080.

Impedimenta facultate comprehensa. Facultas comprehendit fere omnia iure ecclesiastico constituta, ut sunt: Mixta religio; disparitas cultus (3); ordo (4); votum sollemne (5); raptus (6); crimen; consanguinitas in linea collaterali in secundo et tertio gradu (7); affinitas in linea collaterali (8); publica honestas; cognatio spiritualis; cognatio legalis (9).

---

(1) Canon 1042 refert impedimenta gradus minoris, ceter. sunt gradus maioris.

(2) Publicum censetur impedimentum quod probari in forc externo potest; secus est occultum (c. 1037).

(3) Quatenus hisce matrimoniis (mixtae religionis et dispari tatis cultus) est periculum perversionis, lex naturalis *impedi* matrimonium donec periculum removeatur.

(4) Infra Presbyteratum, nam hic est iuris ecclesiastici impedi mentum, sed excipitur in facultate.

(5) Votum privatum, si non est perfectae et perpetuae castitatis emissum post 18 aetatis annum completum, dispensari potest ab Ordinario loci (can. 1313). Quatenus hoc votum privatum foret reservatum R. Pontifici, et ille posset dispensare, evadit impedimentum iuris ecclesiastici. Unde, exstante causa, vi facultatis dispensari possunt omnia vota, saltem quatenus non laedant ius tertii.

(6) Posito consensu sufficiente, secus raptus, qui refunditur in defectum consensus, a nemine dispensari potest.

(7) In primo gradu est controversia, et in linea recta est iuris naturae.

(8) In linea recta est exceptio si matrimonium fuit consummatum.

(9) Si revera in lege civili est impedimentum.

Impedimenta facultate non comprehensa:

a) *Lege divina:* Excipiuntur a dispensatione: impotentia, ligamen, consanguinitas in tota linea recta et in primo gradu lineae collateralis (inter fratrem et sororem). Error, vis, metus non sunt impedimenta matrimonialia, sed totidem vitia (accidentalia vel substantialia) consensus specialem vim exerentia in contractu perpetuo nec rescindibili, qualis est matrimonium.

b) *Lege humana:* Ecclesia excepit a facultate quaedam impedimenta, quae non sunt iuris divini, sed dirimunt matrimonium sola voluntate Ecclesiae, ut sunt: Impedimentum ordinis presbyteratus, defectus aetatis (16 ann. in viro, 14 in femina) - (1); - affinitas ex linea recta, *si* matrimonium ceteroquin validum fuerit consummatum. Idcirco ex capite affinitatis non poterit dispensari v. g. vir ad hoc ut ineat matrimonium cum matre aut filia uxoris vel aliis in linea recta ab istis ascendentibus aut descendentibus; ast, non consummato matrimonio, vel consummato sed *invalido* potest dispensari ut ducat etiam matrem aut filiam uxoris demortuae vel pseudouxoris vivae. Semper tamen poterit dispensari ut ineat matrimonium cum sorore uxoris vel matris.

---

(1) Can. 1067.

Conditiones servandae:

1ª *Causa canonica exsistente.* Valida dispensatio in lege Superioris semper subaudit exsistentiam *causae proportionatae*, nisi Superior aliquid remiserit de causa. In praesentiarum vero pro valido usu facultatis causae requiruntur, et quaenam sint specificatur in facultate, scil.: «*canonicis* exsistentibus causis». Porro causae canonicae (seu in Curia Romana admissae) illae dicuntur, quae sufficientes habentur a S. Sede ad dispensationem super impedimentis concedendam. Verumtamen gravior requiritur causa ad dispensandum super impedimentis gradus maioris, minus gravis pro impedimentis gradus minoris.

Communiores potioresque causae dispensationis indicantur Instructione S. C. de Propaganda Fide, 9 maii 1877 (1) et sunt:

a) Angustia loci; aetas superadulta feminae (non viduae); defectus aut insufficientia dotis; lites super successione bonorum vel earumdem grave aut imminens periculum; paupertas viduae prole oneratae; bonum pacis; revalidatio matrimonii; excellentia meritorum. Hae solent dici causae honestae.

b) Nimia, suspecta, periculosa familiaritas; infamia mulieris; periculum matrimonii mixti, civilis, incestuosi concubinatus; remotio

---

(1) *Collectanea de Propag. Fide*, n. 1470.

gravium scandalorum; cessatio publici concubinatus. Hae dicuntur causae inhonestae.

Huiusmodi autem causae non sunt propositae *taxative;* quapropter et aliae similis ponderis sufficient ad valorem dispensationis. Sed una, saltem, causa est omnino necessaria.

Hisce addendae sunt *causae non canonicae*, quatenus roborant priores, immo istis solis concedi solet interdum dispensatio in remotioribus gradibus, v. g. affinitatis. Causae sunt:

a) *Quoad matrimonium*: propositum contrahendi iam divulgatum; convenientia matrimonii; boni mores oratorum; bonum parentum, v. g. quia indigent adiutorio.

b) *Quoad oratorem:* Si infirmitate detentus, si prole oneratus, cui quaerit optimam matrem.

c) *Quoad oratricem:* si orbata vel altero parente; si illegitime orta; si infirmitate, deformitate, etc., laborat; si deflorata ab alio (1).

Pro impedimentis gradus minoris (2) dispensandis, requiritur quidem causa canonica, attamen dispensatio a minori impedimento con-

---

(1) Noldin, *De Sacramentis,* n. 593.

(2) Impedimenta *gradus minoris* sunt:

1° Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis;

2° Affinitas in secundo gradu lineae collateralis;

3° Publica honestas in secundo gradu;

4° Cognatio spiritualis;

5° Crimen ex adulterio cum promissione matrimonii vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum. Canon 1042, § 2.

cessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit (can. 1054). Quapropter in casu sufficit ipsa petitio, ut causa sufficiens dispensationis adesse censeatur.

2ª *Ordinarius habeat prae oculis:*

a) *Regulas Codicis:*

1º Circa impedimenta in genere et in specie, v. g. de recursu ad S. Sedem: « Si quando cum impedimento seu impedimentis publicis super quibus ex indulto dispensari quis potest, concurrat aliud impedimentum super quo dispensare nequeat, pro omnibus Sedes Apostolica adiri debet; si tamen impedimentum seu impedimenta super quibus dispensare potest, comperiantur post impetratam a Sancta Sede dispensationem, suis facultatibus uti poterit » (c. 1050). — Pariter de canone 1051 respiciente legitimitatem prolis, et alia quae regunt validitatem dispensationis et istius effectus.

2º In impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, *observantiam cautionum* ab Ecclesia praescriptarum: circa periculum perversionis cavendum; educationem catholicam prolis; prudentem curam conversionis partis acatholicae; ne partes adeant, ante vel post, ministrum falsi cultus, matrimonialis consensus praestandi vel renovandi causa (c. 1061-1063).

b) *In matrimonio cum hebraeis vel mahumetanis:*

Peculiari ratione oportet ut:

1º Constet de status libertate partis infidelis, ad removendum periculum polygamiae;

2º Absit periculum circumcisionis prolis, illius nempe circumcisionis ritus religiosi ergo: nam hoc parum spei afferret de cautionibus servandis, cum praeseferant hominem obduratum in falsa religione;

3º Si actus civilis sit ineundus, v. g. ad effectus civiles (can. 1063, § 3), sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat.

NB. — *a*) *Invalida* foret dispensatio in impedimento mixtae religionis aut disparitatis cultus, *non praestitis cautionibus* ab Ecclesia praescriptis can. 1061 (1). Idem videtur dicendum de adeundo ministro falsi cultus *matrimonii causa*, cum in iis adiunctis parochus non posset assistere matrimonio (can. 1063, § 2).

b) Facultas valet quoque pro casu quo plura impedimenta obstent matrimonio (canon 1049), et cumulari potest etiam cum aliis facultatibus *ex iure* concessis, puta dispensandi super *forma iuridica* celebrationis matrimonii (can. 1043).

---

(1) S. Offic., 21 iun. 1912; *A. A. S.*, IV, pag. 442.

32. ***22. SANANDI IN RADICE, iuxta regulas in Codice a can. 1133 ad can. 1141 statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra N. 21, nulliter contracta. Quod vero attinet ad prolis legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat can. 1051.**

Est communis ceteris formulis, et subdelegabilis; sed in formula prima facultas sanationis in radice coarctatur ad matrimonia nulliter contracta ob aliquod impedimentum (vel impedimenta) gradus minoris (can. 1042).

Ex iure. Matrimonii in radice sanatio est eiusdem convalidatio, secumferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, dispensationem a lege de renovando consensu, et retrotractionem, per fictionem iuris, circa effectus canonicos, ad praeteritum (can. 1138, § 1).

Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede (can. 1141).

Ex facultate. Fit potestas sanandi in radice omne matrimonium invalidum ob *impedimentum* quodcumque, etsi multiplex (1), *iuris ecclesiastici*, occultum vel publicum, gradus minoris vel maioris, prout in praecedente facultate; exceptis tamen impedimentis provenientibus ex sacro Presbyteratus ordine, ex defectu

(1) Scilicet etsi plurimis impedimentis matrimonium sanandum fuerit invalidum: potestas hic collata non est restricta ad unum vitium seu impedimentum. Patet impedimenta impedientia indigere dispensatione tantum, non sanatione in radice.

aetatis praescriptae (can. 1067, § 1), et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio.

Fundamentum tamen sanationis in radice est consensus matrimonialis de se naturaliter sufficiens, ab utroque contrahente praestitus nec revocatus (can. 1139, § 1). Hoc autem deficiente, impossibilis evadit sanatio, cum desit entitas seu radix sananda, et consensus matrimonialis nulla auctoritate suppleri queat.

Conditiones servandae. In unum collectae, hae sunt:

a) Impedimentum sit iuris ecclesiastici tantum (1).

b) Consensus, naturaliter sufficiens, datus sit ab utraque parte contrahente et in utraque pergat perseverare.

c) Adsit causa gravis. Haec semper aderit quoties impedimentum est ignotum utrique vel alterutri coniugum, quin ipsis revelari queat nisi cum gravi incommodo. Aliae conditiones, praeter commemoratas, non videntur asserendae, et quamquam in facultate dicitur: *iuxta regulas in Codice a can.* 1133 *ad can.* 1141, non est verisimile hisce a S. Sede imponi conditionem de renovatione consensus, nam haec

(1) Matrimonium contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti (can. 1139, § 2).

conditio, nisi expresse apponatur et quidem sub clausula ad validitatem, non est praesumenda, quandoquidem tota ratio sanationis in eo est, ut consensus renovationem praetereat, sanato primo consensu, qui ideo sanatur ne novus requiratur. Unde dicerem cum clar. Vermeersch (1), canones priores, qui hic citantur, quique respiciunt matrimonii *convalidationem simplicem*, non ideo allegari ut serventur, sed ut melius innotescat natura *sanationis in radice* quae eisdem subnectitur.

Effectus datae sanationis in radice.

Matrimonium sanatum in radice, evadit validum *ex nunc*, scil. a momento applicatae sanationis; proles autem evadit legitima *ex tunc*, scil. a momento dati consensus mutui naturaliter validi. Attamen, *vi* sanationis in radice non legitimatur in casu proles adulterina nec sacrilega (can. 1051).

33. ***23. SANANDI pariter IN RADICE MATRIMONIA MIXTA attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico.**

Est communis aliis formulis, excepta prima. — Subdelegari valet.

Prima fronte videri posset hic concedi aliquid iam in praecedente facultate concessum. Attamen, in praecedente sermo est de matri-

(1) *De Formulis Facult.*, n. 59, a).

monio *contracto* tametsi nullo; hic autem sermo est de matrimonio *attentato*. Quamquam impedimentum mixtae religionis (1) qua tale est iuris ecclesiastici, tamen est solum impediens, idcirco non indiget sanari in radice. Contingit vero quod mixtae religionis impedimento subnectitur in casu *clandestinitas* seu defectus *formae iuridicae* in matrimonio ineundo; huiusmodi autem defectus formae iuridicae irritat quidem matrimonium, sed in iure non amplius computatur inter impedimenta (2); quapropter cum inter impedimenta non recenseatur, etsi irritet matrimonium, merito e praecedentibus facultatibus (21ª et 22ª) tum dispensandi tum sanandi censetur excludi.

Haec matrimonia (attentata) de quibus in facultate, potius quam celebrata dicuntur *attentata* quia nec *speciem iusti matrimonii* habent coram Ecclesia (3).

Nihilominus et haec matrimonia attentata, vi istius facultatis sanari possunt, modo constet de vero naturali consensu (coram ma-

---

(1) Nempe, inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta (can. 1060).

(2) Notio iuridica impedimenti traditur can. 1035, et impedimenta in Codice I. C. enumerantur a can. 1035 ad can. 1080, quibus subnectitur titulus de « Consensu matrimoniali » et « De forma celebrationis matrimonii ».

(3) Immo fieri potest ut in iis defuerit omnis consensus, praesertim si contrahentes sciebant se haud contrahere valere: quo in casu omnino deficeret radix sananda.

gistratu civili vel ministro acatholico) praestito nec postea revocato.

Conditiones servandae. Conferantur, quae in praecedente facultate dicta fuere, et insuper Decretum S. Officii, 22 decembris 1916 (1) ex quo videtur haec facultas sanandi in radice huiusmodi matrimonia, non esse intelligenda *nisi praestitis cautionibus;* secus petenda est nova facultas.

NB. — Facultas sanandi in radice non se extendit ad ullum concubinatum, etsi totc consensu matrimoniali initum; sed requiritur *species* aliqua matrimonii vel civilis vel religiosi.

34. ***24. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus PLURES UXORES habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.**

Recurrit in tertia minore (n. 23) et est subdelegabilis. — Non habetur in aliis formulis.

Praenotanda:

1. Quaecumque, decursu temporis, facta fuerit derogatio proprietatibus magis vel minus intrinsecis matrimonio, Christus Dominus matrimonium suae pristinae conditioni iuridicae unius cum una, perpetuo) restituit atque inter

(1) *A. A. S.*, IX, 13.

baptizatos ad Sacramenti dignitatem evexit. Non baptizatorum matrimonium rationem sacramenti habere nequit; ipsis tamen sicut et ceteris matrimonii non patet aditus nisi prout a Christo Domino fuit restauratum. — Hinc, prima comparte ducta, exhauritur potestas tam in viro quam in muliere aliam ducendi vivente comparte, et quidquid insuper ducitur, matrimonii rationem habere haud potest.

2. Nihilominus, matrimonium inter non baptizatos initum seu *legitimum* non est tantae firmitatis (in proprietate perpetuitatis) ut sit insolubile *extrinsece;* quinimo potest solvi per sic dictum *privilegium paulinum* seu *fidei*, consistens in eo quod parti matrimonio legitimo (seu non sacramento) ligatae, conversae tamen et baptizatae ius sit, servatis aliquibus conditionibus, aliud matrimonium ineundi, quo inito, prius matrimonium dissolvitur.

3. Privilegium fidei nemini favet nisi verificentur conditiones, scil.: *a*) una pars convertatur ad fidem per susceptionem baptismi; *b*) altera pars discedat, nempe: nolit converti nec pacifice cohabitare seu absque contumelia Creatoris; *c*) de discessu constet interpellatione (1). Haec omnia in ordinariis adiunctis.

---

(1) Huiusmodi interpellatio facienda est secundum can. 1122, scil. de auctoritate Ordinarii partis conversae, et in forma saltem summaria et extraiudiciali. Si tamen privata auctoritate facta fuerit a parte conversa, valet quoque, immo est licita, si forma su-

4. Attamen Apostolica Sedes dispensare potest et solet in aliquibus his conditionibus, praesertim in lege interpellationis; cuius agendi ratio tandem inde habetur, quod matrimonium hoc (*legitimum*) minore praestat indissolubilitate extrinseca, ideoque vinculum matrimonii non sacramenti est in manibus Ecclesiae dissolutionis capax quoties ratio fidei subintrat.

Porro hodiedum est quaedam potestas dispensandi, habituali ratione facta per Codicem (can. 1125), quo ad omnes regiones in iisdem adiunctis extenduntur dispensationes pro aliquibus locis factae a Paulo III, Pio V et Gregorio XIII. Quare Ordinariis locorum et missionariis maxime utiles esse possunt facultates huiusmodi per Codicem datae quaeque in Appendice Codicis referuntur Documento VI, VII, VIII.

Effectus dispensationis ab interpellationibus. «Matrimonium eius cum quo dispensatum fuerit (ab interpellationibus), etiamsi postea innotuerit coniugem infidelem suam voluntatem iuste impeditum declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore initi matrimonii (a parte dispensata in interpellationibus) conversum fuisse, nihilominus numquam rescindi, sed

---

perius dicta servari nequeat; dummodo in isto casu de facto et exitu interpellationis constet testimonio duorum testium vel alio legitimo probationis modo. Interpellatio denique est facienda post baptismum partis conversae.

validum esse debebit ». — S. Offic., 4 februarii a. 1891) - (1). Hoc valet pro omni casu legitimae dispensationis; ideo tenet locum in sequentibus (hac super re) facultatibus. His praemissis sequitur

Commentarius ad facultatem.

Subiectum passivum facultatis:

Sunt illi, quorum matrimonium, utpote non sacramentum, minore insolubilitate gaudet, scil. extrinsece solvi potest in favorem fidei. Isti omnes attingi possunt facultate, quocumque nomine designentur sive pagani vel infidelis. Et quamquam in facultate expressa mentio fit de viro polygamo, eo quia plerumque vir (non mulier) iungatur pluribus, par tamen in re matrimoniali est conditio mulieris, si et ipsa polyandria detineatur (2).

Conditiones requisitae:

1ª *Compars* prima, seu legitima, *nolit converti.*

Consequenter ei necessario facienda est prima interpellatio: An velit et ipsa converti ac baptismum suscipere (3). Si enim haec, cum qua exstat matrimonium legitimum, converti et ipsa velit, nulla est potestas in casu permittendi

(1) *Collectanea de Propag. Fide*, n. 1746.
(2) S. C. Inq., 5 Sept. 1858 (*Collectanea de Propag. Fide*, n. 1118).
(3) Can. 1121, § 1, 1°.

aliud matrimonium. Verumtamen habito responso negativo ad primam interpellationem, non est obligatio instituendi alteram interpellationem: (An saltem velit cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris), nam in facultate datur explicita potestas dispensandi in hac altera interpellatione. Ideo statim potest novum matrimonium permitti cum aliqua ex iis pluribus uxoribus, si et ipsa fidelis fiat (1).

2ª Pseudocompars ex pluribus selecta *ipsa fidelis fiat*, scil. convertatur et baptizetur. Si ergo ex his nulla convertitur, vel convers non seligitur a comparte, non est locus solutioni matrimonii in infidelitate contracti, sed vel ampliores requiruntur facultates vel recurrendum est ad S. Sedem (2).

3ª *Post conversionem et baptismum.* Requiritur primum ut ille in cuius favorem est adhibenda potestas, efficiatur fidelis, scil.: convertatur et baptizetur, nam privilegium paulinum est in favorem fidei, ad quam quis per baptisma convertitur (3).

---

(1) Carlassare, *Missionarius Instructus*, pars I, cap. x, n. 22

(2) Haec limitatio quoad personam cum qua iniri valeat matrimonium, procedit in hypothesi de novo isto matrimonio ineundo *cum dispensatione ab altera interpellatione;* siquidem facta comparti legitimae *utraque* interpellatione et habito exitu negativo pars fidelis restrictiones plures non habet quam ceteri fideles.

(3) Privilegium paulinum, ut patet, cessat baptismate alterius partis.

***25. Dispensandi SUPER INTERPELLATIONE coniugum in infidelitate relictorum pro omnibus CASIBUS ORDINARIIS, dummodo scilicet adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides, ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extraiudicialiter coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse.** 35.

Recurrit in minore (n. 24) et est subdelegabilis. — Deest in aliis formulis.

Praenotamen. In materia dispensationis super interpellationibus, iam in usu erat distinctio inter casus *ordinarios* (1) et *extraordinarios*, quibus respondet facultas ordinaria et extraordinaria. Casus ordinarii et extraordinarii ab invicem differunt sola *interpellatione* (an facienda vel omittenda), non vero in *processu*, quatenus constare debet, saltem summarie et extraiudicialiter de verificatis adiunctis ordinariis vel extraordinariis (2). Porro casus ordinarius est ille descriptus in facultate, quatenus in ordinariis adiunctis praeprimis sunt adhibendae omnes diligentiae, etiam per publicas ephemerides, ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitet eum in finem ut ipsi

(1) *Collect. de Prop. Fide*, n. 1581 (S. Off., 29 Nov. 1882).
(2) Ibid.

interpellationes fiant; secundo autem, si in irritum cesserint huiusmodi diligentiae, debet constare, saltem summarie et extraiudicialiter, coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum infra tempus in monitione praefixum, suam voluntatem non significasse. Casus vero extraordinarius (de quo in sequenti facultate) tunc est, quando adiri quidem posset coniux infidelis, sed de comparte facta christiana interpellari nequit sine evidenti gravis damni ei vel christianis inferendi periculo (1).

Materia facultatis. Est dispensatio a tota interpellatione seu utraque, sed restricta ad solos casus *ordinarios*. Idcirco servandae sunt

Conditiones:

1° Adhibendae sunt omnes diligentiae etiam per publicas ephemerides, si hoc utile videbitur, ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat; diligentiae, inquam, illae omnes sunt adhibendae, quas prudentia suadet et quae in similibus et tanti momenti casibus ordinarie adhiberi solent. Si vero hae in irritum cesserint

2° Constet, saltem summarie et extraiudicialiter (ita ut moralis adsit certitudo), coniugem absentem moneri legitime haud posse, aut infra tempus in monitione praefixum suam, hac de re, voluntatem non significasse.

---

(1) *Collect. de P. F.*, l. c.

Haec omnia sunt ad validitatem dispensationis, excepto processu, modo tamen de rei veritate constet certitudine morali.

Practice igitur, dispensari potest quoties: adhibita diligenti perquisitione, prorsus ignota manet residentia partis infidelis; vel, si cognita, ne nuntiis quidem patet aditus; vel distantia nimiam difficultatem affert; vel si certo constat interpellationem inutilem esse (1).

NB. — Urgente mortis periculo, vel necessitate, etc. (2), qua posset Ordinarius locorum dispensare ab impedimentis matrimonii, si alia via non suppetit vitandi damnum grave partis innocentis, nec tempus adeundi S. Sedem, censet Vermeersch (3) licere ab interpellationibus dispensare.

***26. Itemque dispensandi super INTERPELLATIONE coniugis in infidelitate relicti, siquidem certo constiterit, saltem summarie et extraiudicialiter, interpellationem fieri non posse sine evidenti GRAVIS DAMNI aut coniugi iam ad fidem converso, aut christianis inferendi periculo.** 36.

Recurrit in tertia minore (n. 25) et est subdelegabilis. — Non conceditur in aliis formulis.

---

(1) Vermeersch, *De F. F.*, n. 120.
(2) Can. 1043, ss.
(3) Vermeersch, *De F. F.*, n. 120.

Natura facultatis. Dum facultas, quae praecedit, est pro casibus ordinariis, haec praesens est extraordinaria seu respicit casus extraordinarios, in quibus nempe, etsi adiri queat compars fierique interpellationes, hasque habituras exitum favorabilem praevideatur; tamen, ex factis interpellationibus immineret periculum gravis damni christianis vel neo converso. Quare ratio et fundamentum dispensationis in casu, est praecavere praefat gravis damni periculum.

Animadvertendum:

a) Periculi *praesumptionem* minime sufficere, sed requiri *exsistentiam* (moraliter aestimatam) illius, et hoc ad validitatem. Confecti processus, etc. est ad liceitatem, modo i promptu sint rationes positivae, quibus certitudine morali de rei veritate constet.

b) Necesse non est:

1° ut periculum gravis damni, quatenu imminet neo-converso, respiciat bona vitae; satis est si respicit bona mixta vel fortunae;

2° ut gravis damni periculum immineat christianis omnibus. Putarem satis esse si periculum inde immineat uni alterive, v. g illis, qui magis adlaborarunt in conversione illius de quo agitur; nisi velimus abundare et dicamus iam sufficere periculum gravis damn quod imminet revera uni tantum christiano

rum, et tunc sensus facultatis esset: Damnum immineat vel neo-converso (etsi nondum baptizato) vel christianis (tametsi uni soli); non vero si imminet solis non baptizatis (1). Dixi: « etsi nondum baptizato », quia facultas videtur hoc sensu concessa, ex speciali difficultate, quae esse potest pro baptismo conversi, in quem, fortasse, non consentiret nisi v. g. tutus de re comparti haud notificanda nec publici iuris (hic et nunc) facienda (2).

*27. **Permittendi ut, accedente gravi causa INTERPELLATIO coniugis infidelis ANTE BAPTISMUM partis quae ad fidem convertitur fieri possit; nec non, gravi pariter de causa, ab eadem interpellatione, ante baptismum partis quae convertitur, dispensandi, dummodo hoc in casu ex processu saltem summario et extraiudiciali constet interpellationem fieri non posse, vel fore inutilem.** 37.

Recurrit in tertia minore (n. 26) et est subdelegabilis. Minime datur in aliis formulis.

Ex iure. Interpellationes per se sunt faciendae post baptismum partis conversae, ut sit revera privilegium fidei (c. 1121).

Ex facultate. Fit potestas dispensandi ex gravi causa a circumstantia temporis facien-

(1) Haec modeste proponere intendo.
(2) Blat, *Commentarium*, l. III, pag. 691.

darum interpellationum, vel etiam ab utraqu interpellatione.

1º *Interpellatio praemissa baptismo.* Ut bap tismo praemitti queant interpellationes, quo est primum quod concedit facultas, requiritu gravis causa, qualis fortasse est in urgenti parandi novum matrimonium, si negativu responsum dederit pars infidelis; vel si tra quillitatis causa alio divertere cogitat ad co morandum. Exsistentia gravis causae ad di pensandum super tempore, est ad validitaten

2º *Dispensatio interpellationis.* Ad dispe sandum ab eadem interpellatione ante bapti mum (seu simpliciter ab interpellationibus casu) requiritur etiam causa gravis, qua esset periculum gravis damni; vel si convers cogitat de transferendo domicilio et compa est absens, nec scitur ubinam sit, nec temp stive reditura, aut si ipsam interpellatione in tabulis adiunctis inutilem fore constet. Ex stentia gravis causae ad dispensandum in cas nec non certitudo moralis de impossibilitat aut supervacaneitate interpellationum, est a validitatem; confectio processus est ad lice tatem.

B) Circa absolutiones, benedictiones, Indulgentias etc. etc.

***28. Absolvendi ab omnibus CENSURIS, sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis.** 38.

Est communis omnibus formulis et valet subdelegari.

Ex iure:

a) *In periculo mortis* omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884, 2252 (1) - (can. 882).

b) *In casibus urgentioribus*, scilicet: gravis scandali, infamiae, vel *si durum* sit poenitenti sic manere donec adeatur Superior, quilibet *confessarius* in foro sacramentali potest absolvere ab *omnibus censuris* l. s., manente onere recursus seu standi mandatis (can. 2254).

c) *In adiunctis ordinariis:*

1º Ordinarius, praeter illas censuras, quae

---

(1) Can. 884 excludit *licitam* absolutionem complicis in peccato turpi, extra casum necessitatis. In canone autem 2252, firma valida absolutione a censuris quibuscunque, statuitur onus « standi mandatis » pro illis, si convaluerint, qui absoluti fuerunt a censuris *ab homine* vel *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatis.

a iure reservantur nemini vel sibi, potest absolvere (per se vel per alium) a censuris Rom. Pontifici *simpliciter* reservatis, sed solum *in casibus occultis* (can. 2237) - (1).

2° Confessariis, qua talibus, nihil competit nisi in censuras *non reservatas* et, fortasse, excipias confessarios regulares, pro quibus fertur vigere privilegium absolvendi a censuris Ordinario reservatis *a iure.*

Ex facultate. Fit Ordinario *amplior* potestas, quam quae ex iure ipsi competit; eaque datur *pro utroque foro* et est subdelegabilis.

Materia facultatis. Sunt poenae medicinales (non aliae poenae) seu *censurae omnes* cuiusque speciei, sive sit excommunicatio, sive suspensio

---

(1) Excommunicationem *simpliciter* reservatam incurrunt:

1° Quaestum facientes ex indulgentiis (can. 2327).

2° Nomen dantes sectae massonicae etc. (can. 2335).

3° Absolvere praesumentes ab excommunicatione specialissimo et speciali modo reservata (can. 2338, § 1).

4° Communicantes cum vitando in crimine vel in divinis (can. 2338, § 2).

5° Trahentes ad iudicem laicum Praelatos maiores (c. 2341).

6° Violantes clausuram Monialium, et virorum Regularium (can. 2342).

7° Usurpantes bona ecclesiastica aut actus dominii ecclesiastici impeditivos exercentes (can. 2346).

8° Duellantes et complices (can. 2351).

9° Clerici in sacris et ligati voto sollemni castitatis matrimonium attentantes nec non qui cum aliquo ex praefatis matrimonium attentant (can. 2388, § 1).

10° Delictum simoniae in officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis perpetrantes (can. 2392).

11° Subtrahentes, destruentes, celantes, falsificantes documentum quodlibet Curiae episcopalis (can. 2405).

aut interdictum. Ab iis omnibus, vi istius facultatis, absolvere possunt Ordinarii et ab eisdem subdelegati.

Exceptiones. In omni concessione, quamtumvis generali, absolvendi a censuris Rom. Pontifici reservatis, subauditur exceptio de illis *specialissimo modo* reservatis (1). Ut aliquis ab istis absolvere queat, requiritur expressa concessio, qualis habetur v. g. in periculo mortis vel casu urgente, de quibus supra.

Conditiones speciales pro usu facultatis non apponuntur. Patet esse observanda ea, quae in Codice recensentur de removendo scandalo, de satisfactione (ubi debetur) danda, de formula, etc. Haec tamen non attingunt validum usum facultatis (2).

***29. Dispensandi vel commutandi VOTA PRIVATA Sedi Apostolicae reservata, de quibus in can. 1309.** 39.

Habetur in omnibus formulis et est subdelegabilis.

---

(1) Excommunicationem *specialissimo modo* reservatam incurrunt: 1° Species consecratas abiicientes, abducentes, retinentes (can. 2320); 2° Violentas manus in personam R. Pontificis iniicientes (can. 2343, § 1); 3° Absolventes (vel fingentes absolvere) complicem in peccato turpi (can. 2367); 4° Confessarii sigillum sacramentale directe violantes (c. 2369).

(2) Absolutio censurae in foro sacramentali continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta; in foro non sacramentali quolibet modo dari potest, sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris traditam (can. 2250, § 3).

Ex iure. Loci Ordinarius, iusta de causa, valet dispensare (consequenter et commutare) omnia vota *privata* non reservata (1) subditorum et peregrinorum, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum (can. 1313). Quae potestas est delegabilis.

Ex facultate. Fit potestas dispensandi vel commutandi vota *etiam reservata*, sed illa duc tantum can. 1309, nempe: votum perfecta ac perpetuae castitatis, et votum ingrediend in religionem votorum sollemnium, si tamen emissa fuerint absolute et post completum 18 aetatis annum. Igitur nulla fit potestas hac facultate commutandi vel dispensandi alia vota S. Sedi reservata.

Conditiones speciales servandae, non prae scribuntur; verumtamen ex natura rei, ac validum usum facultatis, requiritur causa proportionata, mediocriter gravis nedum in dispensando sed etiam in commutando *in minus* (2). Ex S. Alfonso (n. 252 ss. *De Voto*), causa sufficiens adest in periculo transgressionis ob

---

(1) Vota reservata sunt: 1° Omnia vota publica, videlicet: in professione religiosa (etsi temporanea) emissa, et votum castitatis cum ordine sacro coniunctum; 2° Vota privata perfectae ac perpetuae castitatis et ingrediendi in religionem votorum sollemnium, quae emissa fuerint absolute et post completum 18 aetatis annum (can. 1309).

(2) Commutatio in melius vel aequale bonum ab ipso vovente fieri potest, nisi agatur de votis reservatis (can. 1314). Pro commutatione in aequale, sufficit causa levis; pro commutatione in melius semper adsistit ius sequendi perfectiora.

indispositionem particularem voventis; in magna difficultate, quam in exsecutione voti vovens experitur; in magnis scrupulis, quibus vexatur; vel etiam si immature vel absque perfecta libertate votum emiserit, etc.

A consequenti. Vi istius facultatis quoad *vota*, consequitur alia potestas ex iure ad *iusiurandum promissorium* quod spectat, namque dicitur in can. 1320: Qui irritare, dispensare, commutare possunt votum, eandem potestatem eademque ratione habent circa iusiurandum promissorium; sed si iusiurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest iusiurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae.

***30. Benedicendi solo crucis signo, cum omnibus Indulgentiis a S. Sede concedi solitis, CORONAS precatorias, CRUCES, parvas STATUAS et sacra NUMISMATA, et adnectendi coronis Indulgentias, quae a S. Birgitta et quae a Patribus Crucigeris nuncupantur.** 40.

Est subdelegabilis, et communis aliis formulis (1).

---

(1) *Ex iure,* Episcopis ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis, est facultas benedicendi (ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis) cum omnibus indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis, rosaria, aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, statuas, scapularia a Sede Apostolica probata eaque imponendi sine onere inscriptionis (can. 349, 1, 1°).

Hac facultate conceduntur Indulgentiae Apostolicae.

Indulgentiae Apostolicae illae dicuntur, quae, ex more iam a saeculis vigente, adnecti solent obiectis piis (coronis, parvis statuis, crucibus, numismatibus) quae vel fideles offerunt R. Pontifici (v. g. in audientiis) ut benedicat; vel quae R. Pontifex benedicta ipsemet fidelibus dono tradit. Inde praefatae indulgentiae dicuntur Apostolicae seu Papales. Qui mos talia benedicendi nedum firmus stat, sed et aliis quoque sacerdotibus committi solet specialis potestas has indulgentias adnectendi similibus obiectis piis: quod verificari cernimus hac facultate.

Quaenam et quot sint. Indulgentiae Apostolicae nec singulis obiectis pares, nec constanter eaedem adnectuntur, sed initio Pontificatus cuiusque R. Pontificis publicari solet index seu elenchus earum. Elenchus hodiernus, die 17 februarii 1922 publici iuris factus, habetur in *A. A. S.*, 1922, pag. 143 (1).

---

(1) *Elenchus Indulgentiarum Apostolicarum:*

1° Quisquis saltem semel in hebdomada recitare consueverit coronam Dominicam, vel aliquam ex coronis B. Mariae Virginis, vel rosarium aut saltem eius tertiam partem, vel divinum officium, vel officium parvum eiusdem B. Mariae Virginis, vel integrum officium Defunctorum aut saltem vesperas aut nocturnum cum laudibus, vel psalmos poenitentiales aut graduales, vel consueverit in ecclesia christianam catechesim tradere, aut domi illam suos filios propinquos vel famulos docere, vel in carceribus detentos aut

Conditiones:

a) Ex parte lucrantis: Ut aliquis valeat lucrari Indulgentias Apostolicas, necesse est ut rem *sic benedictam* (a R. Pontifice vel a sa-

---

aegrotantes in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus quomodocunque opitulari, vel Missae interesse eamve, si fuerit sacerdos, celebrare, servatis solitis conditionibus confessionis sacramentalis, sanctae Communionis et alicuius orationis ad mentem Summi Pontificis, lucrabitur Indulgentiam plenariam diebus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Domini eiusdemque SS. Cordis; Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis; Nativitatis S. Ioannis Baptistae; utriusque festi S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis; SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Matthiae, atque Omnium Sanctorum.

2° Si quis vero ad sacramentalem confessionem ac ad sanctam Communionem minime accesserit, corde tamen contritus ad mentem Summi Pontificis aliquantisper precatus fuerit, singulis diebus supra recensitis necnon aliis festis Domini et B. Mariae Virginis, Indulgentiam lucrabitur septem annorum totidemque quadragenarum; in diebus Dominicis ceterisque per annum festis de praecepto, Indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum; quovis, demum, alio anni die, Indulgentiam trecentorum dierum.

3° Insuper quisquis, aliquot ex praedictis pietatis vel charitatis operibus expleverit, quoties id peregerit, quingentorum dierum Indulgentiam acquiret.

4° Quisquis ad aeris campani signum sive mane, sive meridie, sive vespere orationem vulgo *Angelus Domini*, tempore autem paschali *Regina caeli*, aut, eas ignorans, semel *Pater noster* cum *Ave Maria;* itemque sub primam noctis horam, edito pro Defunctorum suffragio campanae signo, psalmum *De profundis* vel, si eum nesciat, *Pater noster* cum *Ave Maria* recitaverit, acquiret Indulgentiam centum dierum.

5° Eandem Indulgentiam acquiret qui quavis feria sexta de Passione et morte D. N. Iesu Christi aliquantulum pie cogitaverit terque orationem Dominicam et Salutationem Angelicam devote recitaverit.

6° Qui suam conscientiam excusserit et peccata sua sincere detestatus fuerit cum proposito se emendandi, devoteque reci-

cerdote tali facultate praedito) super se deferat aut in domo sua decenter retineat (1).

b) *Ex parte rei:* 1° Parvae statuae repraesentare debent Sanctos canonizatos vel saltem martyrologiis descriptos. — 2° Materia statuarum, crucium, coronarum, numismatum ne sit fragilis seu consumptibilis: ideo excluditur materia stannea, plumbea, vitrea, chartacea etc. (2).

c) *Ex parte sacerdotis:* Requiritur efformatio signi crucis super res benedicendas cum intentione eas benedicendi illisque adnectendi indulgentias apostolicas. Haec autem intentio iam adesse censetur eo ipso quod aliquis scienter utitur sua facultate; quum verba aut quid aliud haud requiratur, patet nihil amplius requiri.

---

taverit *Pater noster*, *Ave Maria* et *Gloria Patri* in honorem SS.mae Trinitatis, aut in memoriam quinque Vulnerum D. N. Iesu Christi, consequetur Indulgentiam trecentorum dierum.

7° Quisquis pro fidelibus oraverit qui sunt in transitu vitae vel saltem pro iis semel dixerit *Pater noster* cum *Ave Maria*, centum dierum Indulgentiam lucrabitur.

8° Quisquis, demum, in mortis articulo constitutus, animam suam devote Deo commendaverit et, iuxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV in Const. quae incipit *Pia mater*, 5 aprilis a. 1747, paratum se exhibuerit obsequenti animo mortem a Deo opperiri, et vere poenitens, confessus ac S. Communione refectus vel, si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis sit impeditus, SSmum nomen Iesu, plenariam Indulgentiam consequetur.

Datum Romae ex S. Poenitentiaria Apostolica, die 17 februarii 1922.

(1) *A. A. S.*, 1922, pag. 143.

(2) *A. A. S.*, ib.

Notandum:

a) Eodem signo crucis adnecti valent uni eidemque rei et indulgentiae a S. Birgitta et a Crucigeris.

b) Simul acquiri possunt indulgentiae apostolicae et *aliae* indulgentiae eidem operi adnexae. Sic v. g. recitantes coronam Septem Gaudiorum, simul lucrari possunt eadem recitatione indulgentias peculiares coronae franciscanae et indulgentias apostolicas, fortasse eidem coronae adnexas (1).

31. Conferendi uni alterive ex suis sacerdotibus facultatem CONSECRANDI iuxta formam in Pontificali Romano praescriptam CALICES, PATENAS ET ALTARIUM LAPIDES, adhibitis tamen oleis ab Episcopo catholico benedictis. 41.

Recurrit in aliis formulis, excepta prima; est indelegabilis.

Ex iure. Consecrationes nemo qui charactere episcopali careat, valide peragere potest, nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur (can. 1147). Etenim: «Potestas ordinis, a legitimo Superiore ecclesiastico sive adnexa officio sive commissa personae, nequit aliis demandari, nisi id expresse fuerit iure vel indulto concessum» (can. 210). Iamvero:

(1) *A. A. S.*, 1922, pag. 394.

a) *Iure* concessum est Vicariis et Praefectis Apostolicis, etiam iis qui charactere episcopali carent, ut possint, intra territorii sui fines ac perdurante munere tantum, calices, patenas et altaria portatilia consecrare, oleis tamen ab Episcopo benedictis (can. 294) - (1).

b) *Ex indulto seu facultate* conceditur Ordinario, primum talia consecrare per seipsum (2), deinde hanc potestatem aliis communicare licebit.

Subiectum cui subdelegari potest, sunt sacerdotes territorii, sive sint de territorio sive transeunter ibidem commorentur. Verumtamen haec potestas paucis tantum est committenda, sed non praecise paucis in territorio, sed potius in diversis regionibus territorii si, secus, toto territorio non foret satis provisum.

Conditiones:

a) Specialis necessitas vel ratio pro subdelegatione non expostulatur; tamen mens Ecclesiae in concedenda facultate alia non est quam ut subveniat difficultati, quae esse potest in sacrandis rebus quae consecratione indigent

---

(1) Canon 1200 enumerat causam minus et magis gravem ex qua altare amittit consecrationem. In utroque casu, sive ex ipso can. sive ex Decreto S. C. Rit. (*A. A. S.*, 1920, pag. 449) committi potest presbytero ut consecrationem denuo perficiat, cuius ibidem exstat forma brevissima. Cfr. Vermeersch, *Periodica*, X, pag. 237 (Annotationes).

(2) Implicite hoc censeretur concessum, si hac potestate caret.

antequam cultui adhibeantur. Iamvero, deficiente necessitate vel causa rationabili, talis potestas non solet concedi.

b) Forma praescripta in Pontificali est servanda; quod autem refert ad vestes sacras, a non habente usum Pontificalium satis est ut adhibeantur superpelliceum et stola albi coloris.

c) Oleis benedictis ab Episcopo catholico. Altera et tertia conditio, scil. forma praescripta et qualificata materia, respiciunt validitatem consecrationis (can. 1148, § 2).

***31bis ERIGENDI pium exercitium VIAE CRUCIS ritu ab Ecclesia praescripto, cum applicatione omnium Indulgentiarum, quae huiusmodi exercitium peragentibus a Summis Pontificibus impertitae sunt; et applicandi easdem Indulgentias crucibus et crucifixis, pro infirmis aliisque legitime impeditis, prae oculis habito Decreto S. Poenitentiariae diei 14 decembris anno 1917.** 42.

Haec facultas habetur in formula secunda minore; deest in prima et formulis maioribus. Conferatur tamen Supplementum (n. 66) ubi haec ipsa facultas fit pro formulis maioribus.

Ex iure. Episcopi sive residentiales sive titulares, ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis, possunt, servatis tamen

ritibus ab Ecclesia praescriptis, *erigere* stationes Viae Crucis nec non *benedicere* icones crucifixi cum applicatione omnium indulgentiarum Viae Crucis (can. 349, § 1, 1°, coll. cum can. 239, § 1, 6°).

Huiusmodi potestas ex iure exerceri potest ubique terrarum, sed non est delegabilis (1); e contra potestas ex hac facultate est subdelegabilis. — Hinc, ne minora sint iura Vicarii Apostolici (Episcopi), quam illa Praefecti Apostolici (non Episcopi) formulae maiori iam solet addi, supplementi instar, ipsa eadem facultas hic recensita.

Ex facultate. Fit *duplex* potestas: erigendi stationes Viae Crucis; benedicendi cruces vel crucifixos cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis.

Quatenus haec potestas venit *e sola facultate: a*) est subdelegabilis, sed *b*) restricta ad territorium, ad erectionem Viae Crucis quod spectat; ast, cruces aut crucifixi pro Via Crucis benedici possunt in territorio pro omnibus de territorio vel etiam peregrinis; extra territorium autem videtur restringenda ad solos subditos.

1° *Potestas erigendi stationes Viae Crucis.*

a) *Quoad locum:* Stationes Viae Crucis erigi possunt: in ecclesia, oratorio publico aut

(1) *A. A. S.*, 1919, pag. 332.

semi-publico (1); in loco *pio*, v. g. in Seminario, Conventu (2); in loco publico, decenti tamen et irreverentiae haud obnoxio.

b) *Quoad erectionem:* Requiruntur 14 cruces ex ligno (3), benedicendae formula Ritualis in eodem loco erectionis (4), atque muro appendendae congrua distantia inter ipsas.

c) *Quoad facultatem erectionis:* Nisi ab ipso Ordinario fiat V. C. erectio, facultas est danda scripto (semel pro semper vel toties quoties) et quidem ante erectionem, et utrumque ad validitatem. Pariter scripto est habenda, ante erectionem, licentia parochi vel rectoris ecclesiae, aut conventus vel loci erectionis. Si tamen erector et ipse est rector vel superior loci erectionis, necessitas huiusmodi licentiae omnino exulat. Tandem requiritur licentia Ordinarii loci (5), quae licentia iam implicite adest si ipse est collator potestatis erectionis.

Exercitium Viae Crucis.

Ad peragendum exercitium Viae Crucis requiritur duplex conditio et quidem ad effectum lucrandi indulgentias: 1ª meditatio (quam-

---

(1) Non vero in oratorio privato, nisi ibidem Sacrum fieri liceat, aut erectio fiat vi iuris (can. 239 et 349).

(2) Non autem in cellis privatis.

(3) Tabulae pictae non sunt necessariae, sed convenientes.

(4) Ad crates tantum, si agitur de erectione intra clausuram Monialium.

(5) Huiusmodi licentia non est necessaria, si agitur de erectione in loco exempto.

tumvis brevis) passionis Domini pro cuiusque modulo; 2ª transitus seu motus localis de una statione ad aliam. Hisce tota continetur essentia Viae Crucis, quo salutari exercitio perplures lucratur indulgentias si agens hoc intendit et est in statu gratiae (can. 925). Licet et decet eas applicare animabus poenas igne purgatorii expiantibus. Aliae conditiones, puta confessionis, communionis, precum etc. haud praescriptae sunt.

2º *Potestas applicandi indulgentias Viae Crucis crucibus et crucifixis.*

Ex peculiari regimine Viae Crucis, indulgentiae ipsius valide non adnectuntur nisi iconibus Crucifixi; immo indulgentiae ita adhaerent iconi quod de cruce ad crucem icon ipsa libere transferri queat retentis indulgentiis. S. Indulg., 4 maii 1883.

Verumtamen in hac facultate fit singularis concessio, ita ut nedum iconibus crucifixi sed et ipsis *solis crucibus* sine icone adnecti valeant indulgentiae Viae Crucis. Opportune pro illis locis tanta fit potestas, ubi minore copia esse solent icones Crucifixi.

Requisita:

1º *Ex parte materiae:* Crux vel icon crucifixi sit ex materia non fragili (1); nec sit nimis

---

(1) Sleutjes, *De Stationibus Viae Crucis*, n. 60.

parva. Pius IX fertur pluries renuisse huiusmodi benedictionem pro crucifixis dimidii aut unius pollicis (1).

2° *Ex parte benedicentis:* Sufficit efformare signum crucis super crucem aut crucifixum cum intentione ei adnectendi indulgentias Viae Crucis (2).

3° *Ex parte fidelium:* Ut fideles cruce vel crucifixo praedicto lucrari valeant indulgentias Viae Crucis, requiritur: *a*) ut detineantur infirmitate vel alio impedimento eos (moraliter saltem) impediente quominus adire valeant ecclesiam vel locum ubi erectae sint stationes Viae Crucis. Satis haec conditio censetur verificari, ubi motivo vere rationabili impediuntur a visitandis stationibus canonice erectis; *b*) recitatio (prae manibus habito crucifixo vel cruce) viginti *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri* cum quadam saltem *pia recordatione* passionis Domini (3).

Conditio de «pia aliqua recordatione passionis Domini» est novissime superaddita Decreto S. Poenitentiariae, 14 decembris 1917.

Patet piam recordationem passionis Domini esse faciendam inter recitationem *Pater* etc.;

---

(1) Sleutjes, *l. c.*, n. 59.

(2) Sleutjes, *l. c.*, n. 62.

(3) Horum *Pater* etc. (corde contrito et devote sunt recitanda) unum respondet cuilibet stationi; quinque dicuntur in memoriam Vulnerum D. Nostri; unum demum dicitur iuxta intentionem Romani Pontificis.

sed seorsim facta valeret quidem ad effectum lucrandi indulgentias. Nimium tamen non est insistendum in illa « pia recordatione » cum verbis enuntietur valde benignis: pro modulo nempe uniuscuiusque, nec tota recitatione necessario protrahenda.

NB. — Personae habenti crucem (1) vel crucifixum *benedictum*, et aliae associari possunt in ordine ad lucrandas indulgentias Viae Crucis, verificatis eisdem conditionibus, quo in casu sufficit, si vel una ex ipsis crucifixum vel crucem praedictam manu teneat.

43. **32. Impertiendi, praeter concessionem de qua in can. 914, ter in anno in sollemnioribus festis BENEDICTIONEM PAPALEM iuxta praescriptam formulam cum Indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere poenitentes, confessi et S. Communione refecti eidem Benedictioni interfuerint, Deumque pro S. Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis oraverint.**

Est communis omnibus formulis, sed indelegabilis.

Praemittenda: De Indulgentiis:

Indulgentia est remissio coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam

(1) Sive sit dominus sive ille cui commodata est ad casum.

quod attinet iam deletis. Vivis per modum absolutionis, defunctis per modum suffragii obtingit (can. 911).

Plenaria dicitur aut *partialis* prout de se est remissiva totius poenae temporalis, vel partem tantum remittit (1).

Ad lucrandas indulgentias:

a) *Conditiones generales.* Ut quis capax sit lucrandi indulgentias: 1º sit baptizatus oportet; 2º in statu gratiae, saltem in fine operum; 3º intentionem habeat, saltem habitualem (scil. factam nec retractatam); 4º impleat opera iniuncta (can. 925) - (2).

b) *Conditiones speciales:*

1º *Pro partialibus.* Illud opus, de quo sermo est, ponatur. Sic v. g. ad lucrandos centum dies indulgentiae concessae tactu ferulae poenitentialis, huius operis positio est necessaria, verificatis aliis conditionibus generalibus.

2º *Pro plenariis.* Generatim (3) requiritur confessio, communio, visitatio ecclesiae et preces.

a) *Confessio*, necessaria ad indulgentiam plenariam, peragi potest infra octo dies praece-

---

(1) Plenariam, si quis eam non lucratur ex toto, lucrari potest ex parte pro dispositione quam habet (can. 926).

(2) Ut patet, indulgentiarum capax non est excommunicatus.

(3) Dantur exceptiones, v. g. pro lucrandis indulgentiis Viae Crucis.

dentes et sequentem octavam (can. 931, § 1). Attamen respectu istius confessionis *privilegium* est pro illis qui soliti sunt α) saltem bis in mense (nisi legitime impediantur) confiteri; vel β) sacram Communionem quotidie (etsi semel aut iterum per hebdomadam ab ea abstineant) recipere; isti possunt consequi omnes indulgentias etiam sine actuali confessione (can. 931, § 3).

b) *Communio* pariter necessaria ad indulgentiam plenariam. Peragi potest nedum in die cui affixa est indulgentia sed etiam in pervigilio eiusdem diei et intra subsequentem octavam (can. 931, § 1).

c) *Visitatio ecclesiae.* Si specialis ecclesia designatur visitanda v. g. in indulgentia Portiunculae, ipsa ecclesia designata est invisenda; sin autem specialis ecclesia non designatur, sufficit visitatio cuiuslibet ecclesiae vel oratorii publici (1). Haec autem visitatio intelligitur illa, quae sit pie facta seu actus religiosus, et fieri potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem quae statutum diem claudit (can. 923).

d) *Preces* interdum praescribi solent, quod de oralibus est intelligendum (can. 934). Preces autem huiusmodi, nisi speciales designentur,

---

(1) Ubi *determinata* ecclesia visitanda non praescribitur, in communitatibus religiosis aut piis satisfit visitando proprium oratorium vel sacellum (can. 929).

arbitrio fidelium eligi possunt (ibid.). Preces nimis breves non sufficerent; communiter autem certo sufficiens habetur recitatio 5-6 *Pater*, *Ave* et *Gloria*, cui recitationi uniri potest intentio orandi pro omni fine concedentis.

NB. — Ad lucrandas plures indulgentias vel pluries eamdem, toties sunt iteranda opera iniuncta quot sunt indulgentiae lucrandae. Exceptio fit de confessione et communione: utraque semel facta, satis est ad plures indulgentias plenarias illa die occurrentes (1); preces autem et visitatio ecclesiae sunt iteranda, v. g. exeundo et redeundo ad ecclesiam. Iam sequitur:

Facultatis Commentarium:

Iamdiu consuevit R. Pontifex populum sibi adstantem vel ad hoc congregatum sollemnioribus diebus vel circumstantiis benedicere atque benedictionem augere Indulgentia plenaria: Cuius rei famosae exstant benedictiones illae *dalla Loggia*, sic dictae, veluti desideratissima illa diei 6 Februarii 1922. Ut tanto beneficio frui quoque possent qui extra Urbem sunt, non minus in usu est hanc benedictionis elargitionem per alios nomine Pontificis impertiri.

Ex iure. Benedictionem papalem cum indulgentia plenaria, secundum praescriptam for-

(1) S. C Indulg., 29 maii 1841, n. 291.

mulam, impertiri possunt: 1° Episcopi in sua quisque dioecesi bis in anno, hoc est die sol lemni Paschatis Resurrectionis et alio die festo sollemni ab ipsis designando, etiamsi iidem Missae sollemni adstiterint tantum; 2° Vicari et Praefecti Apostolici, etsi episcopali digni tate careant, id possunt in suo territorio un tantum ex sollemnioribus per annum diebu (can. 914).

Conditiones ad lucrandam indulgentiam pl nariam Benedictionis papalis, quando huius modi Benedictio datur vel a *Pontifice* ipso v *ex iure* sunt sequentes: Fideles sint *a*) pra sentes, *b*) corde (saltem) contriti. Aliae condi tiones (confessionis, communionis etc.) non in veniuntur praescriptae (1).

Ex facultate. Praeter ea, quae Ordinarii h facultate aucti valent *ex iure*, possunt ter anno Benedictionem papalem cum indulgent plenaria populo impertiri in sollemnioribus (liturgia vel frequentia populi) festis.

Ex natura rei, facultas haec respicit terr torium, cum Benedictio papalis sollemnite sit impertienda.

Conditiones:

a) *Ex parte benedicentis*, requiritur usu formulae praescriptae, quae est illa Caerem

(1) Beringer, *Les Indulgences*, II Part., II sect. n. 305.

nialis Episcoporum pro habentibus usum Pontificalium; pro illis, qui usum Pontificalium non habent, formula est illa Ritualis Romani, tit. VIII, cap. 32. Ad essentiam vero quod refert, semper videtur sufficiens sola benedictio cum Crucifixo (1).

b) *Ex parte fidelium* requiritur: 1º intersint Benedictioni; 2º poenitentes confessi; 3º sacra Communione refecti; 4º orent pro Fidei propagatione et iuxta mentem Romani Pontificis. Ut pervium est, ampliores requiruntur conditiones pro Benedictione papali ex facultate quam ex iure.

NB. — Tametsi huiusmodi facultas non sit subdelegabilis, nihilosecius Vicario vel Delegato generali committi potest ut locum Praesulis teneat (2).

33. Concedendi ut, servatis consuetis conditionibus, INDULGENTIAM PLENARIAM in PRIMAE COMMUNIONIS sollemni distributione et in S. Confirmationis administratione, christifideles ad S. Communionem vel Confirmationem rite accedentes lucrari possint. 44.

Habetur in aliis formulis et est indelegabilis.

Ex iure. Benigna Mater Ecclesia, sequentes indulgentias (hac super re) defunctis quoque

(1) Beringer, *Les Indulg.*, II P., sect. II, n. 305.
(2) Vermeersch, *De F. F.*, n. 68, g).

applicabiles elargita est, nempe: *Plenariam* 1° adolescentibus confessis et ad mentem Rom. Pontificis pie orantibus, die quo primum S. Synaxim celebraverint; 2° eorumdem adolescentium consanguineis ad tertium usque gradum, piis caeremoniis primae Communionis adstantibus, si pariter Sacramentali Confessione rite abluti sacram Synaxim susceperint, et uti supra oraverint; *Septem annorum* totidemqu quadragenarum Christifidelibus, qui corde saltem contrito eisdem caeremoniis interfuerint (1)

Ex facultate:

a) Fit potestas augendi praestantiam primae Communionis sollemniter distributae, mediante indulgentia plenaria lucranda a prim vice sollemniter communicantibus.

Quoties haec sollemnis distributio prima Communionis possit indici, limites non appo nuntur; sed haud dubium est quin semel au etiam pluries indici debeat. Quoties peragitu toties augeri potest indulgentia plenaria.

b) Pariter fit potestas condecorandi administrationem S. Confirmationis indulgentia plenaria lucranda a confirmandis.

Conditiones. Ad lucrandam unam alteramve indulgentiam, sunt servandae conditiones re-

---

(1) Decreto « *Adolescentes* » S. C. Indulg., 12 iulii 1905 (*A. S. S.* vol. 38, pag. 122).

censitae n. **43** (confessio, communio, visitatio ecclesiae, preces).

***34. Concedendi INDULGENTIAM PLENARIAM primo conversis ab haeresi, servatis consuetis conditionibus.** 45.

Est communis ceteris formulis et est subdèlegabilis.

a) Verbum hoc « conversio ab haeresi » intelligitur de adscriptis sectae haereticae. Ab istis est prius abiuratio etc. requirenda, quibus non parvi solatii erit si ditentur indulgentia plenaria.

b) *Primo conversi* censentur illi, qui ab haeresi, in qua baptizati et educati fuere, ad Ecclesiam catholicam convertuntur; vel illi, qui in Ecclesia catholica baptizati et educati, ab ea defecerunt, sed postea redeunt. Isti enim sunt revera *primo conversi ab haeresi* (1).

Conditiones servandae, sunt confessio, communio, etc. (n. **43**).

35. Impertiendi INDULGENTIAM PLENARIAM singulis ex clero, qui per quinque saltem dies SACRIS EXERCITIIS interfuerint, ac, sacrosanctum Missae sacrificium celebrantes, vel saltem ad S. Synaxim accedentes, pias ad Deum 46.

(1) Blat, *Commentar.*, lib. III, pars I, pag. 294.

preces effuderint pro S. Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

Est communis aliis formulis, ast indelegabilis.

Quid sibi velint sacra Exercitia, in propatulo est.

Conditiones:

1º Ex parte Exercitiorum: Per quinque dies protrahantur, mane et vespere. Dies tamen non praescribuntur solidi; ideo satis est si incipiunt sub vesperum diei primi et absolvuntur mane in die quinta.

2º Ex parte cleri: Clerici intersint exercitiis, seu in communi exercitia peragant. Clerici intelliguntur omnes: saeculares et religiosi.

3º Pro lucranda indulgentia praescribitur sacra Communio (ordinaria seu laica vel sacerdotalis seu in litando) et preces ad finem specificatum, nempe Fidei propagationem et ad finem genericum, scil. iuxta mentem R. Pontificis. Aliae conditiones, non videntur requiri.

47. ***36. Concedendi Benedictionem Apostolicam cum INDULGENTIA PLENARIA omnibus christifidelibus, qui spiritualibus Exercitiis seu SACRIS MISSIONIBUS, de quibus in can. 1349, § 1, ultra medietatem interfuerint, benedictioni cum Cruce in fine postremae concionis impertiendae vere penitentes, confessi ac sacra**

Communione refecti adstiterint, atque ecclesiam, in qua conciones huiusmodi habebuntur devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint pro sanctae Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

Est communis aliis formulis et subdelegabilis.

Ex iure. Parochi et quasi-parochi (missionarii) curare debent ut, saltem decimo quoque anno sacra Missio ad gregem sibi commissum habeatur. De quibus vigilare debent Ordinarii. Cf. can. 1349.

Ex facultate. Fit potestas his in adiunctis dandi Benedictionem papalem cum indulgentia plenaria.

Conditiones:

a) *Ex parte s. Missionis.* Quot diebus protrahi debeat s. Missio (vel Exercitia), ut ius sit dandi Benedictionem papalem cum indulgentia plenaria, non est definitum. Generatim protrahi solent per plures dies (octo vel quindecim); triduo tantum his operam dantes vel intervenientes non videntur facultate comprehendi.

b) *Ex parte fidelium:*

1º Intersint actibus Missionis vel Exercitiorum ultra medietatem;

2º Praesentes sint Benedictioni papali

impertiendae cum Cruce in fine ultimae concionis;

3º Poenitentes, confessi et sacra Communione refecti sint;

4º Visitent ecclesiam vel oratorium in quo habita fuit S. Missio; ibique orent per aliquod temporis spatium pro Fidei propagatione et iuxta mentem R. Pontificis.

48. ***37. Concedendi in actu VISITATIONIS paroeciarum, quasiparoeciarum et missionum, nec non communitatum tam saecularium quam religiosorum, ut INDULGENTIAM PLENARIAM una vice tantum lucrari possint christifideles dummodo contriti, confessi ac S. Communione refecti pias ad Deum preces fuderint pro S. Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.**

Est communis aliis formulis et subdelegabilis.

Ex hac facultate:

1º Potestas fit Ordinario elargiendi indulgentiam plenariam occasione visitationis canonicae. Quam visitationem, ex can. 343, § 1, Episcopi tenentur quotannis in toto vel ex parte facere; Vicarii autem et Praefecti Apostolici, quandocumque opus fuerit (can. 301, § 2).

2º Indulgentia plenaria semel tantum dari potest una eademque visitatione; iterata visi-

tatione, facultas est iterandi elargitionem indulgentiae.

3º Universo pago, unica collatione indulgentia dari potest; vel etiam et, fortasse, magis confert ad commoditatem et opportunitatem, si datur in unaquaque paroecia. Quinimo, in singulis paroeciis aut quasiparoeciis et missionibus seorsim dari potest personis moralibus seu communitatibus, puta conventibus, orphanotrophiis, hospitalibus, et, ut videtur, eam lucrari possunt etiam peregrini (1).

Conditiones. Sunt eaedem, quae n. **43** recensentur pro indulgentia plenaria lucranda (confessio, communio, visitatio ecclesiae, preces).

***38. Concedendi christifidelibus ut INDULGENTIAS, propter quas CONFESSIO saltem bis in mense requiritur, lucrari possint, etsi ob legitimum impedimentum inde a mense ad poenitentiae sacramentum non accesserint.** 49.

Est communis aliis formulis et subdelegabilis.

Ex iure. Christifideles qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad poenitentiae sacramentum accedere, aut sanctam communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere quotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem absti-

(1) Can. 927.

neant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive iubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar iubilaei (1). Hoc privilegium canonis eos quoque comprehendit qui, ob legitimum impedimentum, confessionem alterna hebdomada interdum non instituunt.

Ex facultate. Facultas continet ampliorem remissionem de requisita confessione ad lucrandas indulgentias quam in canone citato. Vi facultatis concedi potest ut confessio quae instituitur singulo quoque mense sit sufficiens (positis aliis conditionibus) ad lucrandas omnes indulgentias plenarias interea occurrentes. Insuper, huiusmodi potestas fieri valet nedum singulis in casibus particularibus verum etiam indulto quodam generali erga omnes versantes in iisdem adiunctis.

Conditiones. Specialis conditio ut fideles donentur hac facultate est quod adsit legitimum impedimentum, v. g. desit copia confessionis, quod facile continget in locis missionum. Idem dicerem de legitimo impedimento quod se haberet tantum ex parte fidelium.

Quoad reliquas conditiones (communionis, visitationis ecclesiae, precum) conferatur n. **43.**

---

(1) Can. 931, § 3.

***39. Concedendi ut omnes praedictae INDULGENTIAE applicari possint PER MODUM SUFFRAGII animabus in purgatorio detentis.** 50.

Est communis aliis formulis et subdelegabilis.

Ex iure. Indulgentiae concedi possunt nedum pro vivis sed etiam pro defunctis; defunctis autem concessae ipsis applicari valent tantum per modum suffragii (1). Attamen nisi indulgentiae concessae fuerint a Rom. Pontifice, non censentur applicabiles defunctis nisi expresse constet (2).

Ex facultate. Fit potestas concedendi ut omnes hucusque recensitae indulgentiae (a num. **32** ad num. **38**) applicari quoque valeant animabus igne purgatorii commissa expiantibus.

Conditiones ad lucrandas has indulgentias, sunt ipsae eaedem quae in lucrante sibi ipsi requiruntur, *mutata* intentione, ut loco suipsius cedant in suffragium animarum purgatorii vel in genere vel cuius aut quarum maluerit.

***40. Benedicendi crucifixos cum Indulgentia plenaria vulgo TOTIES QUOTIES nuncupata: idest a quocumque ex fidelibus in mortis periculo constitutis lucranda. Grassantibus autem epidemicis vel contagiosis morbis, concedendi** 51.

(1) Can. 911.
(2) Can. 913, 2°.

ut fideles IN PERICULO MORTIS constituti INDULGENTIAM PLENARIAM lucrari possint, Christi crucifixi imaginem vel crucem deosculando; vel, ea deficiente, SSmum Iesu nomen corde saltem, si ore non potuerint, invocando.

Est communis omnibus formulis et subdelegabilis.

Quanto cum amore provida mater Ecclesia curam gerit horum fidelium versantium in tanto agone! Idcirco Ordinarii, matris piae voluntatem exsequentes, hac facultate etiam subdelegabili uti ne omittant.

Indulgentia de qua agitur in facultate, haud confundenda est cum Benedictione apostolica et indulgentia plenaria in ipso momento mortis lucranda, quam sacerdos infirmis assistens dare ne omittat monetur can. 468, § 2. Haec, ut patet, indiget sacerdote; dum facultas hic data, abunde providet etiam pro casu absentiae sacerdotis.

Duplex hic fit potestas:

1° *Benedicendi crucifixos cum indulgentia plenaria toties quoties lucranda.*

Indulgentia plenaria vulgo *toties quoties* nuncupata, hoc nomine designatur non ex eo quod toties lucretur, quoties conditiones implentur; quinimo, ab uno eodemque, semel tantum lucrifieri valet, nempe in ipso articulo mortis. Hinc, morte non secuta, nec indulgentia lu-

crifit nec lucratio ultra differtur. Attamen, novo superveniente periculo, denuo concedi potest (iteratis conditionibus) eadem indulgentia, extremo vitae momento lucranda.

Christi crucifixi imago *ad hoc benedicta* deservire potest omnibus fidelibus; nec requiritur ut ad moribundum pertineat vel apud ipsum detineatur.

Conditiones:

a) *Ex parte crucifixi*, requiruntur ipsae eaedem conditiones, quas crucifixi et cetera obiecta devotionalia habere debent (iuxta dicta n. **40**), scil. nec nimis parvus sit, nec ex fragili materia.

b) *Ex parte benedicentis*, sufficit efformare signum crucis super crucifixum intentione seu in ordine ad indulgentiam *toties quoties*.

c) *Ex parte fidelium:* 1° sint in mortis periculo constituti, nempe infirmitate adeo gravi, quae secumferat probabile periculum mortis. Expedit tamen ne ad ipsum articulum mortis cura adeundi indulgentiam differatur ea praesertim ratione ut locus sit conditionibus implendis. — 2° Osculentur vel quomodocumque tangant crucifixum sic benedictum. — 3° Sint confessi ac sacra communione refecti, vel, si id facere nequiverint, saltem contriti SS. Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocent, et mortem tam-

quam peccati stipendium de manu Domini patienter suscipiant (1).

Haec in adiunctis ordinariis.

2º Alia potestas hic fit, quae respicit adiuncta extraordinaria, quibus providetur modo extraordinario.

a) *Adiuncta extraordinaria: Grassante morbo epidemico vel contagioso, sive in regione sive in pago*, etc. In iis adiunctis, vel ob difficultatem deferendi ad singulos crucifixum *benedictum*, vel ob periculum quod esset in ipso contactu, etc.

b) *Providetur modo extraordinario*, qui consistit in eo quod infirmi, de quibus supra, (sive causa periculi mortis ipsa lues sit sive alia), lucrari valent eamdem indulgentiam absque crucifixo *ad hoc benedicto;* sed satis est:

1º - *a*) Deosculari Christi crucifixi imaginem (etsi chartaceam, pictam), vel etiam crucem quamlibet (cum vel sine imagine crucifixi), tametsi nec benedictam nec benedictionis admissivam; immo etsi tunc ad hoc confectam ex quacumque decenti materia. Illis enim in adiunctis Ecclesia remittit de conditionibus requisitis et intenta in id est ut fideles hunc actum externum ponant comitante actu interno contritionis, acceptationis mortis, etc.

b) Deficiente Christi crucifixi imagine

---

(1) S. Off. 11 iunii 1914 (*A. A. S.*, 1914, pag. 347).

vel cruce, eamdem indulgentiam nihilominus lucrari valent invocatione SS. Nominis Iesu, corde, saltem, si ore non potuerint.

2º Etiam in isto casu extraordinario per se requiritur confessio et sacra communio. Si autem id facere nequiverint fideles, requiritur, uti supra, ut contriti SS. Nomen Iesu corde saltem, si ore non potuerint, invocent.

41. Concedendi ut, expleto Divino Officio diei, legitima concurrente causa, privatim recitari possit MATUTINUM CUM LAUDIBUS diei sequentis, STATIM POST MERIDIEM. 52.

Est communis omnibus formulis sed indelegabilis.

Ex iure. Recitatio *privata* (seu non choralis) matutini cum laudibus *diei sequentis* semper incipi potest incoepta hora secunda pomeridiana diei currentis (1).

Ex facultate. Fit indultum anticipandi per duas horas privatam recitationem matutini cum laudibus, et ideo horum recitatio incipi potest statim post meridiem. Meridies autem computari potest ad libitum, iuxta can. 33, nempe sumi potest meridies verus, medius, legalis vel extraordinarius.

Conditiones. Bina apponitur conditio pro legitimo usu istius facultatis:

---

(1) *Decreta auth. C. S. Rit.*, num. 4158, vol. VI.

1ª *Pensum diei currentis ex integro solutum iam sit.* Maxime decet ut ita fiat. Quid tamen de casu quo vesperae habendae sint sollemniter hora secunda post quas frequens accedat populus ad tribunal poenitentiae, numquid, remissa recitatione vesperarum et completorii ad horam secundam, non liceret statim post meridiem incipere recitationem matutini cum laudibus diei sequentis ministerio plenissimae? Tamen fertur, ex mente S. C. de Propag. Fide hanc conditionem spectare validitatem (1). Si res ita se habent, nihilominus existimarem locum esse epikeiae in hypothesi proposita.

2ª *Legitima concurrat causa.* Causa sufficiens rationabilis, nec necessario gravis esse debet; idcirco satis esset ratio maioris commoditatis pro ministerio pastorali. Longe verius, haec conditio respicit solam liceitatem, eo vel maxime quod simile privilegium (nulla apposita necessitate causae sufficientis) haud infrequenter concedi solet.

NB. — A facultate excluditur recitatio *choralis*, illa nempe quae ex iure communi haberi debet in quibusdam ecclesiis; non autem ex-

(1) Vermeersch, *De F. F.*, n. 72, b). Existimat tamen cl. P. Blat hanc et alteram conditionem (de causa legitima) spectare liceitatem tantum. Et certo, qui hora secunda pomeridiana anticipat, vi iuris, recitationem matutini diei sequentis, nondum soluto penso diei currentis, utique satisfacit oneri. — *Commentarium C. I. C., de Rebus*, pars I, pag. 774.

cluditur illa, quae, forsan, ex constitutionibus habetur: haec enim naturam privatae recitationis non excedit.

42. Concedendi ut ob legitimam gravemque rationem, de qua eius conscientia oneratur, LOCO DIVINI OFFICII, ROSARIUM vel aliae preces recitari possint. 53.

Recurrit in aliis formulis, excepta prima, et est indelegabilis.

Ex iure. Ordinariis non est potestas *dispensandi* (nec quidem per modum actus et cum singulis) in Horis canonicis. Verum, singuli Horis canonicis adstricti possunt a lege *excusari* quacumque causa physica vel morali ex recensitis v. g. apud moralistas, ubi de Officio divino. Medium veluti tenet locum inter dispensationem et excusationem *commutatio* quatenus *causa* nec requiritur *tanta* ut dispensari queat, nec *adeo gravis* ut subintret excusatio.

Ex facultate. Ordinario datur potestas (quam ex iure non habet) non quidem *dispensandi* sed tantum *commutandi* pensum diei.

Conditiones:

a) Commutatio fieri potest in favorem proprii cleri, intra et extra territorium, sed pro sola recitatione privata.

b) Requiritur legitima et gravis ratio, scil. non sufficit gravis ratio non legitima vel le-

gitima non gravis. Sic ratio parandi pueros ad sollemnem iam indictam primam communionem, erit legitima et gravis; eosdem parare pro spectaculo quodam, quod haud difficulter remitti posset in aliam diem, forsan erit gravis ratio, sed non videtur legitima.

Cavendum tamen est a gravitate rationis adeo augenda ut potius quam commutatio habeatur legis *excusatio*. Porro gravis et sufficiens ratio adesse videtur si v. g. iam senex incipias dubitare tenearis necne, ex satis recuperata valetudine, reassumere recitationem divini Officii; si non parum laboris absumis in munere apostolico, puta si 4-5 horis operandas catechismo tradendo, confessionibus excipiendis, pueris erudiendis, et similia.

c) Demum, commutatio est peragenda in rosarium vel alias preces (vocales) aequivalentes.

Quid rosarii nomine hac in re sit intelligendum, videtur erui posse ex communi usu et acceptione istius verbi tum apud theologos tum apud vulgum quando fideles dicunt recitare rosarium, nempe: tum illi tum isti intelligunt de recitatione *quinque decadum*. In hanc benigniorem interpretationem inclinandum duco eo praecipue quia agitur de commutatione-dispensatione (1).

---

(1) Preces aliae loco rosarii sed et huic plus minusve aequivalentes, essent v. g. corona Septem Gaudiorum B. M. V.

43. Permittendi suis missionariis ut VESTES LAICALES induere possint, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis commode permanere non potuerint. 54.

Est communis omnibus formulis, verum indelegabilis.

Ex iure.

1° In functionibus sacris, vestis talaris est adhibenda (1).

2° Extra functiones sacras:

a) Omnes clerici decentem *habitum ecclesiasticum* secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant (2).

b) Religiosi omnes proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis (3).

Vestes a clero (saeculari vel religioso) deferendae dicuntur *ecclesiasticae* vel clericales, dum vestes, pro more regionis, adhibitae a laicis dicuntur *laicales*. Porro,

Ex facultate. Fit potestas Ordinario loci permittendi suis missionariis (cleri saecularis et religiosi) usum etiam habitualem *vestium laicalium*.

---

(1) Immo quoad Missam habetur canon specialis (c. 811, § 1).
(2) Can. 136, § 1 et can. 2379.
(3) Can. 596.

Conditio pro usu facultatis, est quod alias transitus ad loca eorum curae commissa commode fieri non posset, vel etiam commode in iisdem locis permanere nequirent vestibus clericalibus. Iamvero, commode nequirent deferri vestes propriae si ideo difficilis potius quam facilis redderetur evangelizatio, si frequenter fastidii vel molestiae periculo exponerentur.

55. **44. Permittendi suis missionariis ut ARTES MEDICINAE ET CHIRURGIAE exercere valeant, dummodo in illis periti sint, operentur absque incisione, praeterquam ad sanguinem emittendum, et nihil exigant pro huiusmodi exercitio; et in curandis mulieribus ea vitent quae sanctitatem characteris, quo insigniti sunt dedecent.**

Recurrit in tertia minore (n. 44); est indelegabilis et deest omnino in aliis formulis.

Ex iure. Sine apostolico indulto (clerici etiam lato sensu tales) medicinam vel chirurgiam ne exerceant (1).

Haec interdictio iuris, adamussim in nostris regionibus servanda, quadamtenus amittit de rigore ubi caritatis ratio subintrat, quod maxime obtinet in locis missionum. Hinc

Ex facultate. Datur potestas Ordinario loci

(1) Can. 139, § 2.

permittendi suis missionariis exercitium medicinae et chirurgiae. Quae potestas non exigit expresse causam vel casum necessitatis; iste tamen plerumque aderit, quo non exsistente, non nisi prudenter et parce videtur hac facultate esse utendum.

Conditiones servandae profluunt vel ex lege naturae vel ex statu personae a qua huiusmodi artes sunt exercendae. Sunt sequentes:

1ª *Adsit peritia in arte exercenda*, secus missionarius se exponeret periculo laedendi quintum decalogi praeceptum.

2ª *Operentur absque incisione*, scil.: abstineant necesse est ab operationibus quae vitae aut mutilationis periculum secumferant, quamobrem impingere possent in can. 985 statuentem irregularitatem. Insuper etiam si tale periculum non sit, tamen ab huiusmodi operationibus cum incisione erit abstinendum. Fit exceptio illius incisionis haud periculosae in ordine ad aliqualem emissionem sanguinis, quae interdum aestimetur necessaria vel conveniens.

3ª *Gratis exerceatur* ars medica vel chirurgica. Hac conditione maxime commendatur Ecclesia quae, terrenis contemptis, per terrena ipsa conatur omnes Christo devincire. Attamen interdictio haec minime obstat quominus missionarii accipiant donationem *ultroneam* grati animi ergo hac occasione factam.

4ª *Qua par est decentia.* In curandis mulieribus ea studeant vitare quae sanctitatem characteris, quo insigniti sunt, dedecent. Quamvis hic ratio afferatur fortior quae dari potest, scil.: decentia characteris sacri ordinis, servata tamen proportione, idem valet pro omnibus clericis (etiam late talibus) quia et ipsis talia exercere vi iuris communis interdicitur et decentia status clericalis et ipsos urget.

56. **45. ASSIGNANDI PENSIONEM quasi-parochis vel missionariis ex infirmitate resignantibus quasi-paroecias vel missiones, in quas per decem annos incubuerunt, solvendam annuatim a successore, non excedentem tertiam partem fructuum quomodolibet provenientium ex quasi-paroeciis vel missionibus, deductis expensis.**

Est communis aliis formulis sed indelegabilis.

Ex iure. Beneficiis autem paroecialibus non possunt (Ordinarii locorum), nisi in commodum parochi vel vicarii eiusdem paroeciae a munere abeuntis, imponere pensiones, quae tamen ne excedant tertiam partem reditus paroeciae, quibusvis deductis expensis et incertis reditibus (1).

Ex facultate. Quod loci Ordinario competit ex iure quoad paroecias, idem ipsi conceditur

(1) Can. 1429, § 2.

quoad quasi-paroecias vel missiones; ast non eadem ratione.

Conditiones:

1ª *Si pensionarius:*

a) resignaverit quasi paroeciae vel missioni;

b) infirmitatis causa (non alia ratione) resignaverit;

c) ipsi deservierit per decennium.

2ª *Pensio:*

a) est solvenda annuatim a successore, et quia limites non apponuntur et ratio concessionis semper aderit, pensio ad vitam pensionarii concedi posse videtur;

b) non excedat tertiam partem fructuum quomodolibet (etiam ex iuribus stolae) provenientium ex quasi-paroecia vel missione, deductis expensis cultus, conservationis ecclesiae, etc.

***46. Dispensandi cum catholicis pauperibus, qui opera sua valde indigent, ut SERVILITER LABORARE valeant DIEBUS DOMINICIS, exceptis Paschate et Pentecoste, post tamen S. Missae auditionem si possit audiri, si vero non possit, recitatis precibus suppletivis.** 57.

Recurrit in tertia minore (n. 46); est subdelegabilis; non habetur in aliis formulis.

Ex se. Ubi sermo est de tertio decalogi praecepto, plures enumerant theologi *causas excu-*

santes de se (absque necessario interventu Superioris) ab alterutra vel utraque lege (de audiendo Sacro et de abstinendo a servilibus) die festo urgente.

Ex iure. Ordinarii locorum et parochi (consequenter quasi-parochi et missionarii), *in casibus singulis iustaque de causa*, possunt subiectos sibi singulos fideles singulasve familias etiam extra territorium (atque in suo territorio etiam peregrinos), a lege communi de observantia festorum... dispensare (1).

Ex facultate. Habetur quaedam ampliatio potestatis Ordinarii loci (et etiam missionariorum, posita subdelegatione), quae respicit sola *opera servilia*. Ampliatio in hoc consistit: Potestas facultatis: *a*) est subdelegabilis; passive habitualis, scil., fideles habituali quadam ratione dispensari possunt; *c*) etiam globatim et per edictum generale exerceri valet.

Conditiones. Ex facultate dispensari possunt fideles quoad opera servilia modo:

a) servilibus operibus valde indigeant;

b) diebus Dominicis tantum (non autem aliis diebus festis non Dominicis), immo exceptio fit pro diebus Dominicis Paschatis et Pentecostes, in quibus vi facultatis nequeunt permitti opera servilia;

---

(1) Can. 1245 § 1.

c) tamen post S. Missae auditionem. Si vero auditio Missae componi haud potest cum labore servili ipsis ex dispensatione permisso, tunc assignandae erunt preces, quas ipsi recitabunt veluti in supplementum Missae.

NB. — Indigentia operum servilium, quae est veluti fundamentum validi exercitii facultatis, nec talis nec tam gravis requiritur quae ex se excuset a praecepto; secus heic haberetur declaratio excusationis potius quam dispensatio. Dispensatio contra subaudit dispensandum secus lege teneri.

C) Pro ipso Ordinario.

47. ASSERVANDI in sacello domus stabilis suae residentiae SSMUM EUCHARISTIAE SACRAMENTUM, ea lege, ut lampas indesinenter ante tabernaculum lucescat, clavis diligenter custodiatur, aliaque iuxta liturgicas leges plene serventur. 58.

Est communis formulae primae et maioribus; deest in minoribus.

Hac facultate permagna fit potestas Ordinario, quaeque ipsi non competit ex iure. Privilegium hoc censetur concessum *personae* non *muneri* Ordinarii; ideo non competit v. g. Vicario generali aut Delegato generali.

Locus asservationis. Est residentia stabilis

Ordinarii, etsi per annum constans non sit. Excluditur locus commorationis transeuntis et requiritur stabilitas quaedam in residentia. Attamen in casu multiplicis residentiae stabilis, facultas asservationis sequitur ipsum Ordinarium et competit loco stabili actualis residentiae, cessans in priore loco.

Conditiones asservationis. Sunt ipsae eaedem, quae iure communi praescriptae habentur pro asservatione SS. Eucharistiae, cum hac in re amplior facultas Ordinario non detur. Itaque servandae sunt: 1° conditiones generales asservationis, nempe: *a*) adsit qui SS. Eucharistiae curam gerat; *b*) regulariter saltem semel in hebdomada Missa ibidem celebretur. 2° Insuper servandae sunt circumstantiae speciales asservationis quoad altare, tabernaculum, pyxidem, etc. (can. 1265, 1268, 1269).

59. 47bis Fruendi INDULTO personali ALTARIS PRIVILEGIATI quotidiani, dummodo intuitu huius privilegii, nihil omnino, praeter consuetam eleemosynam percipiat.

Est communis formulis minoribus; deest in prima et maioribus.

Ex iure. Episcopi (etiam titulares) gaudent ex privilegio altari privilegiato personali quotidiano (1).

---

(1) Can. 349, § 1, 1° collato cum can. 239, § 1, 10°.

Ex facultate. Ordinariis (qui episcopi non sunt) datur privilegium *altaris privilegiati personalis quotidiani* in hoc consistens quod afficiat immediate sacerdotem celebrantem, ea lege ut tali privilegio ipse gaudeat quocumque in loco vel altari Sacrum faciat. Porro privilegium in casu consistit in *Indulgentia plenaria*, solis defunctis applicabili et quae obtingit illi pro quo Missa applicatur. Si vero Missa pro pluribus defunctis applicatur, cui ex illis indulgentiam velis, ille est designandus.

Conditiones. Ut defuncto, purgatorio detento, indulgentia haec per modum suffragii obveniat, requiritur:

a) Missa pro eodem defuncto applicetur, quo in casu applicatio Missae secumfert praefatam indulgentiam quin necesse sit ut vel offerens stipem vel sacerdos celebrans intendat privilegio uti vel indulgentiam applicare (1).

b) Intuitu huius privilegii nihil omnino praeter consuetam eleemosynam percipiat (2).

Utraque conditio est ad valorem indulgentiae.

Praeter has, aliae conditiones minime requiruntur; ideo est indulgentia vere singularis.

---

(1) Decr. S. C. Indulg., 12 martii 1855.
(2) Can. 918, § 2.

60. **48. LUCRANDI INDULGENTIAS, quas aliis vi facultatum sibi concessarum impertiendas censuerit, impletis tamen conditionibus.**

Est communis omnibus formulis.

1. Opportune datur Ordinario haec et sequens facultas: Non enim exsulat omne dubium utrum in favorem suiipsius posset Ordinarius, absque nova concessione, iisdem facultatibus uti (1).

2. Exinde vero Ordinarius iam *certo* poterit iis facultatibus uti perinde ac si suiipsius subditus foret, modo adiuncta sint eadem eaedemque conditiones.

61. **49. UTENDI ipse PERSONALITER, in iisdem tamen adiunctis, FACULTATIBUS seu permissionibus, quas, intra limites in praecedentibus articulis expressos, concedendas esse censuerit.**

Est communis omnibus formulis.

Si quod dubium supererat hac super re quoad alias facultates, hac penitus disparet.

62. **50. Utendi THRONO cum BALDACHINO et CAPPA MAGNA in Pontificalibus; nec non**

---

(1) Revera, facultates sunt privilegia quaedam, haec vero non sunt ultra concessum extendenda. Ex alio autem capite, non perspicitur cur hic nequeat applicari statutum can. 201, § 3, quo edicitur potestatem iurisdictionis voluntariae, nisi aliud constet, exerceri posse etiam in proprium commodum.

permittendi presbyteris in ecclesiis suae iurisdictionis celebrantibus ut sui **NOMINIS** tamquam Antistitis sive in precibus ferialibus sive **IN CANONE MISSAE** mentio fiat: quatenus haec ipsi a iure concessa non fuerint.

Habetur in formula prima et maioribus.

ANIMADVERSIONES

I. Praedictae facultates ea lege conceduntur, 63.
ut non omnes indiscriminatim **SUBDELEGARI** possint, sed illae tantum quae asterisco * notantur, seu quae habentur sub numeris: 15, 17, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 34, 36, 37, 38, 39, 40, 46.

II. Ordinarius insuper supradictis omnibus facultatibus sive per se sive per alios uti tantum valet **INTRA FINES SUAE IURISDICTIONIS**; easque gratis et sine ulla mercede exerceat, et facta mentione apostolicae delegationis.

III. Quod si forte **EX OBLIVIONE VEL INADVERTENTIA** ultra tempus supra praefinitum, seu ultra... hisce **FACULTATIBUS** Ordinarium **UTI CONTINGAT**, absolutiones, dispensationes, concessiones omnes exinde impertitae uti ratae atque validae habeantur. In-

super DATIS ab Ordinario PRECIBUS PRO RENOVATIONE seu prorogatione earumdem facultatum, ipsae in suo robore PERSEVERARE censeantur, usquedum responsum S. C. ad eumdem Ordinarium pervenerit.

NB. — Huiusmodi animadversiones sunt communes omnibus formulis, si excipias numeros respondentes facultatibus subdelegabilibus.

ADDENDA

FACULTATES SUPPLETORIAE

34. Mos est penes S. C. de Propag. Fide praecedentibus facultatibus has, quae sequuntur, subnectere.

1. Erigendi ILLAS ETIAM Confraternitates A S. SEDE APPROBATAS QUARUM INSTITUENDARUM IUS APOSTOLICO EX PRIVILEGIO ALIIS RESERVATUM EST (c. 686, § 2), **UNA EXCEPTA CONFRATERNITATE SS.mi ROSARII, IISQUE ASCRIBENDI CHRISTIFIDELES; ac benedicendi coronas et scapularia earundem Confraternitatum PROPRIA, CUM APPLICATIONE OMNIUM INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM QUAE SUMMI**

PONTIFICES IISDEM CONFRATERNITATIBUS IMPERTITI SUNT.

Ex iure. Erectio Confraternitatum est penes Ordinarium loci (1), illis exceptis quas S. Sedes reservatas voluit (2). Reservari solent, quae sunt propriae Ordinum religiosorum.

Ex facultate:

a) Fit potestas erigendi etiam Confraternitates reservatas, una excepta Confraternitate SS. Rosarii.

b) Longe verius, posita legitima erectione, huiusmodi Confraternitates obtinent eo ipso indulgentias et privilegia, quin requiratur aggregatio Archiconfraternitati.

c) Ordinario conceditur quoque potestas benedicendi sive coronas sive scapularia earundem Confraternitatum cum omnibus indulgentiis adnexis rebus sic benedictis.

Extensio:

a) Facultas *erectionis* Confraternitatum non est delegabilis. Erectio fieri debet *decreto* Ordinarii.

b) Excluduntur, ut patet, Tertii Ordines, minime vero Piae Associationes (3).

---

(1) *Rescripta Authentica*, n. 406.
(2) Can. 686, § 2.
(3) De quibus can. 707.

65. **2. Subdelegandi SUIS MISSIONARIIS FACULTATEM ASCRIBENDI CONFRATERNITATIBUS DE QUIBUS SUPRA n. 1, CHRISTIFIDELES; AC benedicendi coronas et scapularia earundem Confraternitatum propria, CUM APPLICATIONE OMNIUM INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM QUAE SUMMI PONTIFICES IISDEM CONFRATERNITATIBUS impertiti sunt.**

Quoniam praecedens facultas non est subdelegabilis, hac conceditur potestas subdelegandi sed partialis, scil.: non quoad erectionem Confraternitatum, sed solum quoad *adscriptionem* in Confraternitates et *benedictionem signorum* earumdem (puta coronarum, scapularium) cum applicatione indulgentiarum. Igitur manet semper reservata ipsi Ordinario erectio Confraternitatum.

NB. — Prima et altera facultas *suppletoria* est eadem in utraque formula (maiore et minore). Insuper dari solet Episcopis tertia facultas, quae sic sonat:

66. **3. Subdelegandi PARITER SUIS MISSIONARIIS SEQUENTEM DUPLICEM facultatem QUAE EIDEM ORDINARIO, QUA EPISCOPO, in canone 349, § 1, n. 1 CONCEDITUR, NEMPE:**

a) **benedicendi, RITIBUS TAMEN AB ECCLESIA PRAESCRIPTIS, omnia scapularia A**

SEDE APOSTOLICA PROBATA, EAQUE IMPONENDI SINE ONERE INSCRIPTIONIS;

Ex iure: Episcopis est privilegium benedicendi scapularia a Sede Apostolica probata eaque imponendi sine onere inscriptionis (1). Haec potestas, quatenus est ex iure, haud delegari potest.

Ex facultate: Fit potestas subdelegandi suis missionariis quatenus et ipsi possint benedicere et imponere praefata scapularia et quidem sine onere inscriptionis, ita ut privilegia et indulgentiae etiam sine inscriptione habeantur.

b) **ERIGENDI, RITIBUS PARITER AB ECCLESIA PRAESCRIPTIS, STATIONES Viae Crucis, CUM OMNIBUS INDULGENTIIS QUAE HUIUSMODI PIUM EXERCITIUM PERAGENTIBUS A SUMMIS PONTIFICIBUS IMPERTITAE SUNT; ET** applicandi easdem **indulgentias crucibus et crucifixis PRO INFIRMIS ALIISQUE LEGITIME IMPEDITIS,** prae oculis habito decreto **S. Poenitentiariae diei 14 decembris anno 1917.**

Ex iure:

Episcopo inde ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis, competit potestas erigendi stationes Viae Crucis,

---

(1) Can. 349, § 1, n. 1°.

nec non benedicendi Crucifixi icones (in ordine ad Viam Crucis) pro legitime impeditis, servatis tamen ritibus ab Ecclesia praescriptis (1). Haec potestas est indelegabilis.

Ex facultate:

a) Fit potestas *subdelegandi* pro utroque, nempe: sive pro *erectione* canonica Viae Crucis, sive pro *benedicenda* icone vel cruce in ordine ad exercitium Viae Crucis.

b) Praeterea, ampliatur (saltem implicite), potestas Ordinarii, siquidem ex iure ipsi est potestas benedicendi (in ordine ad Viam Crucis) *icones* Crucifixi *tantum*, non vero solas cruces; hic autem conceditur insuper potestas benedicendi (et applicandi indulgentias Viae Crucis) *etiam crucibus*. Et quoniam huiusmodi potestas sic benedicendi cruces subdelegari potest ab Ordinario, merito et ipse per se idipsum facere posse censetur.

Conferatur n. **42** ubi haec facultas fusiore sermone exponitur.

67. **3bis " Benedicendi, RITIBUS TAMEN AB ECCLESIA praescriptis, omnia (cetera) scapularia a Sede Apostolica probata, eaque imponendi sine onere inscriptionis „.**

« Hanc pariter facultatem Ordinarius suis missionariis subdelegare potest ».

---

(1) Can. 349, § 1, n. 1°.

Ex iure:

Ordinariis, quibus datur formula tertia minor, utpote quia non sunt Episcopi, nihil competit hac in re. Idcirco per hanc facultatem datur quod nec praecedentibus facultatibus est concessum, nec ipsis est a iure.

Ex facultate:

a) Ordinario ipsi fit potestas benedicendi et imponendi omnia scapularia a Sede Apostolica probata, scil. etiam illa quae, utpote non pertinentia ad Confraternitatem aliquam, non sunt comprehensa praecedentibus facultatibus.

b) Conceditur quoque ius subdelegandi suis missionariis hanc facultatem, ut et ipsi benedicere et imponere queant praefata scapularia.

c) Tandem, aufertur onus inscriptionis sive in se, sive quatenus opus esset ad privilegia et indulgentias habendas.

INDEX ALPHABETICUS

Numeri indicant paginas.

Ablutio corporalium, etc., 54.

Absolutio a censuris: *ex iure*: in periculo mortis, in casibus urgentioribus, in adiunctis ordinariis, 89; *ex facultate*, 90.

Administratio Ss. Eucharistiae sine lumine, etc., 55.

Altare fractum, sine reliquiis Sanctorum, 35; indultum Altaris privilegiati, 132.

Aqua baptismalis quoad benedictionem, 28; in purificatione licis, 39.

Asservatio Ss. Sacramenti sine lumine, 49-51; in sacello Ordinarii, 131.

Baptismus sollemniter conferendus aqua specialiter benedicta, 28; formula benedictionis aquae ex Rituali et ex Facultate, 29.

Benedictio papalis, 104 et 111; pro obiectis piis, 93; crucis aut crucifixi pro exercitio Viae Crucis, 99; cum indulgentia *toties quoties*, 117.

Communio in nocte Nativitatis Domini, 41 ss.; graviter aegrotis administranda sine lumine, etc., 55; non servato ieiunio, 58.

Commutatio votorum, 91.

Confessionis obligatio in ordine ad indulgentias, 114.

Confirmationis sacramentum ex ordine, ex iure, ex facultate, 31-35.

Confraternitas: erectio, 136; ascriptio in confrat., 136; benedictio coronarum, scapularium, etc., confrat., 136; subdelegatio pro ascriptione in confraternitatem, benedictione coronarum, etc., 138.

Consecratio calicis, patenae, altarium lapidum, 97.

Corporalium ablutio, 54.

Dispensatio: a votis privatis, 91; a labore servili, 129; super defectum aetatis ad presbyteratum, 65; circa impedimenta matrimonii, 66; ut conversi infideles ex pluribus uxoribus illam, quae convertitur, retineant, 78.

Expositio Ss. Sacramenti cum duobus luminaribus tantum, 47.

Facultates: initium, 23; interpretatio, 18-23; tempus ad quod, 23 ss.; protractio, renovatio, 23; oblivio et inadvertentia in ordine ad exercitium facultatum, 25; usus in favorem concedentis, 134.

Formulae: ratio, numerus, ad invicem relatio, regiones, quibus dantur, 15 et 16; subiectum, 17; tertiae ratio et divisio, 27 et 28.

Functiones Hebdomadae Maioris: ex iure, ex facultate, 43 et 44; Missa in Coena D. et Sabbato Sancto, 43.

Hebdomada Maior, v. Functiones.

Ieiunium naturale in ordine ad infirmos, 58; pro Missae celebratione, 59 (in nota).

Impedimenta matrimonii: quaenam dispensari possunt ex iure, quaenam ex facultate, conditiones servandae, 66-70.

Indulgentiae: notio, conditiones generales et speciales, 104 et 105; in prima communione, in confirmatione, 109; pro primo conversis ab haeresi, 111; peragentibus s. esercitia, 111; intervenientibus s. missionibus, 112; in actu visitationis paroeciarum, etc., 114; lucrari valent etiamsi confessio a mense non iterata fuit, 115; per modum suffragii applicabiles defunctis, 117; indulgentia *toties quoties*, 117; lucrandae etiam a concedente, 102; *apostolicae:* elenchus 94 (in nota); conditiones ex parte lucrantis, rei, sacerdotis, 95 et 96; simul cum aliis eidem rei adnexae, 97; adnexae crucibus aut crucifixis pro Via Crucis, 99.

Interpellationes: faciendae post baptismum partis conversae, 87; dispensatio ut premittantur baptismo, 87; dispensatio, 80; effectus dispensationis, 80; dispensatio in casibus ordinariis, 83; dispensatio in casibus extraordinariis, 84.

Interpretatio facultatum: *regulae generales:* sunt privilegia praeter ius, 18; comprehendunt utrumque forum, 19; secumferunt omnem potestatem necessariam ad earum exercitium, 20; sunt facultates delegatae a Sede Apostolica, 20; transeunt ad eos qui succedunt in regimine, 20; subdelegari possunt habitualiter, 20; *regulae speciales:* facultates tantum asterisco notatae sunt subdelegabiles, 21; subdelegatio procedit intra fines iurisdictionis, 21; gratis sunt concedendae, ecc., 22; quaenam ex iis conditionibus spectant validitatem, liceitatem, 23.

Iuramenti dispensatio, 93.

Matrimonium suae pristinae conditioni restitutum, 78; solvi potest in favorem fidei, 79.

Medicinae vel chirurgiae artes missionariis permitti possunt, 126.

Nativitas Domini, tres Missae et Ss. Communio nocte illa, 41.

Oblivio in renovandis facultatibus, 24.

Officium divinum: anticipatio 121; commutatio, 123.

Olea sacra: quot, quando consecranda, 30.

Ordinarius loci, 17; in ordine ad facultates, 17.

Ordines: *minores* cum prima tonsura simul, 62; *sacri* etiam diebus ferialibus etsi continuis conferendi, 63; dispensatio super defectu aetatis, 65.

Opera servilia diebus dominicis permitti possunt, 129.

Pensio assignari valet missionariis, 128.

Privilegium paulinum, 79 ss.; altaris privilegiati, 132.

Sanatio in radice: quid, a quonam dari potest ex iure et ex facultate, 74; fundamentum, 75; conditiones servandae, 75; matrimonii mixti attentati coram magistratu civili vel ministro acatholico, 76; conditiones servandae, 78.

Scapularia: benedictio, subdelegatio ad benedictionem 137 et 138.

Thurificatio in Missa cantata sine ministris sacris, 40.

Via Crucis: erectio stationum ex iure et ex facultate, 99 et 100; locus erectionis, 100; crucium numerus, materia, benedictio, appensio, 101; conditiones ad exercitium V. C., 101 et 102; benedictio crucis aut crucifixi ad exercitium V. C., 103; conditiones requisitae ex parte materiae crucis et ad indulgentias lucrandas, 102 ss. (cfr. pag. 140).

Vestes laicales missionariis permitti valent, 125.

Vicarius delegatus institui valet et poterit subdelegare facultates, 20.

Votum: dispensatio, commutatio, 91 ss.

33855